

1. Num Joseph deceptus fuerit. K.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuele Matth. 1, 18-23.
De edo pui 1 Joh 11, 2.
3. De amictu baptista. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De uetu baptista Mt 3, 4. Mr. 1, 6
5. Curat. Sup monte Mt. 5, 14.
6. De bedros pui cura eleemosynar. Mt. 6, 2
7. Interum Anus. Vanitas. Mt. xv, 9.
8. De signis temporum observandis Mt. 16, 1-4
9. De curis. Petri & Karp. Mt. 16, 13-19. Incur.
10. Tu es filius dei. uentis. Mt. 16, 16.
11. De claris. Mt. 16, 19.
12. De autitate. Mt. 16, 19. solv. & lig.
13. De didrachmis & solutus Mt. 17, 24-27
14. Sensus de opibus uinam. Mt. 20, 1-16
15. Vol. Si congregatum uolentes Mt. 23, 37.
16. Chichitubus. De haecomo Epti Mt. 24, 14.
17. De ot dago. Mt. 24, 28
18. Ager sanguinis Mt. 27, 3-11.
19. Tumba seruatoris. Mt. 27, 60
20. De curi. Judas de. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De curi. mortis p. olas. Sancti. Mr. 6, 13. Luc. 7, 14-15
22. De incarnatione Mysterio Luc. 1, 35
23. De Maria. Si preservata.
24. De noie. Iesu. Luc. 2, 21
25. De uenta. abpt. pcutnois Luc. 7, 47, 48
26. qobk eis Luc. 8, 13.
27. Si curi. Sabatnica Luc. xv.
28. De Mamona mystike Luc. xvi, 9
29. De curi. Luc. 16, 9
30. De lacrimis. Luc. xix, 41.
31. De gladio. Luc. 22, 38

ou
R

33
34
35
36
37
38
39
40
4
4
4
4
4
4
4
4
5
5
5
5
5
5
6
6
6



56
58

ΔΙΑΤΥΠΩΣΙΣ
CONCILLII
HIEROSOLYMITANI,

Ex

Cap. XV. Actuum Apostolicorum,
FAVENTE SUMMO NUMINE

PRÆSIDE

DN. JOH. CONRADO DANN-
HAWERO, SS. Theol. D. Professore Publ.

& Ecclesiaste, Facult. Theolog.
h. t. DECANO,

In Universitate Argentoratensi

d. 18. Octobr. qv̄i D. Lucae sacer,
A. S. M. DC. XLIX.

SOLENNI DISQUISITIONI
subjecta

M. JACOBO MULLERO,
Lubecensi.

DISPUTATIO XI.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS ANDREÆ.

G O N O L L I

HIEROGONMANT

DM JON COMBADO DAY

M. JACOBO MILLER

JOHANNES MILLER





I. N. D. N. J. C.

PROOEMIUM.



Lucam Patria Antiochenum professione Medicum & Virum Apostolicum (testibus Hieron. *Catalog. de Script. Eccles.* & tota antiquitate Ecclesiastica) autorem & consignatorem esse Actuum Apostolicorum (ut vulgo appellantur, quamvis non omnium, sed præcipuorum tantum & imprimis Petri, Johannis & Pauli Apostolorum res gestas exactissime conscriptas contineant) neminem dubitare persuasus sum, nisi vel ipsius auctoris, sui mentionem statim initio injicientis, totius venerandæ antiquitatis & omnium commentatorum & Doctorum hætenus obtentam, & contra adversarios multis & invictis argumentis defensam fidem & auctoritatem in dubium vocare non erubescat. Copiosorem hujus rei demonstrationem vide apud Brentium in *Præfat. ad Act. Apost. Lorinum, Sanctium & Cornel. a Lapide in Prolegom. ad Act.* Est inter alia hic Lucas noster, uti demonstrat Præses hujus disputationis in *Christ. Act. I. Theatr. I. Phenom. III. pag. 132.* Polyhistor sanctus, cujus hypodigmata duobus voluminibus comprehensa, uti loquitur Eusebius *Lib. III. cap. IV. Hist. Eccles.* canonicam auctoritatem habent, quam asserunt rerum conscriptarum majestas, veritatis Evangelicæ harmonia, & D. Pauli assiduus comitatus, ex quo etiam deinde factum, ut scripta hæc non tam Lucæ, quam Apostoli Pauli Evangelium haberentur, de quo ipse Apostolus sermonem injecisse videtur *Rom. II, 16. & 2. Tim. II, 8. stylo tersus & amœnus, lingua græca peritissimus, Hieron. loc. cit. & Epist. CXLV. & in cap. VI. Esaiæ.* Lorinus in *Prolegom. cap. IV. ad Act. Accuratus ac si alius ordinis studiosissimus*: Promittit enim ipse in *Hist. Exang. cap. I, 3.* se omnia velle ἀκριβῶς, h. e. accurata & exacta diligentia, & καθεξῆς, i. e. ordine deinceps & distincte, ut solent ii, qui ad scribendam historiam aliquod judicium adferunt, consignare. Sanctitatis hujus singularis, eloquentiæ, intimatæ ἀκρίβειας laudem, si quis est, qui huic nostro Autori invidet, is penitus tantum, & dextro, ut ajunt, oculo nobiscum introspeciat exactissimam & omnibus numeris absolutam *primi Concilii Hierosolymitani*, ab Apostolis ad sepellendas obortas in Ecclesia Antiochena

chena controversias & schismata convocati & celebrati, designationem *cap. XV. Act. Apost.* descriptam: tum nullum dubium, quin pedibus in nostram iturus sit sententiam, certo statuens, laudem ab antiquitate hactenus reportatam jure merito a nobis ei denegari non debere.

Hugo Grotius Magnus & πολυπράγμων & ιδιογνώμων *Tract. posthum. de Imp. sum. Potest. circa sacra pag. 143.* inter alia nobis objicere videtur: *non recte ab Ecclesia Doctoribus ex hoc loco initium Synodorum peti, cum hic conventus Apostolorum Synodi nomine minime venire possit, quippe quæ non significet quidem omnem conventum, sed talem, in quem multi ex dissitis locis coëant; rectius ergo collegium, ad quod tantum Presbyterium unius civitatis convenit, vocari.* Ad quod, missis aliis, quæ de origine Synodorum ex jure naturæ, non quidem absoluto, sed secundum quid, loco citato inspergit, quam sententiam refutant Gesnerus *Lib. I. de Concil. in genere Proœm. & cap. I. & Alsted. Panstrat. Cathol. de Conciliis pag. 118. cap. I.* Resp. falso supponi a Grotio Synodum seu Concilium esse conventum, ad quem ex diversis locis aliqui convocantur, quippe sic omnis politicus conventus Synodus appellandus foret: Constat enim, hoc imprimis Synodi proprium esse, quo ab aliis conventibus & congressibus distat, quod in ea judicium de vera & falsa religione vel disciplina & ritibus Ecclesiasticis juxta præscriptum verbi divini instituitur; quæ requisita cum in hoc Concilio ad oculum cuius obvia, certe Synodi nomen obtinebit. Nec quicquam impedit, quod tantum Apostolorum coetus non omnes ex Asia minore Episcopi & Presbyteri ad Hierosolyma convocati fuere; alia enim tunc temporis ratio: Apostolos enim interrogare & ab illis decisionem petere plus erat, quam omnium Episcoporum vota collegisse, hi enim illi erant, qui singulari privilegio non errandi præ cæteris a Spiritu Sancto donati fuerunt.

Cum ergo nullum evidentius Synodi exemplum in N. T. habeamus, quam hoc jam indicatum, in quo omnia ad legitimum Concilium requisita inveniuntur, merito inde originem & exemplar petendum existimamus. Atque ut ordine omnia a nobis in enucleanda descriptione Concilii hujus Apostolici peragantur, constituimus ita progredi, ut primo *Historiam*, deinde *Divinam ejus Autoritatem, Sanctitatem, Ordinis pulchritudinem, Utilitatem & parallelismum brevibus* quidem, & quousque tenuitatis & ingenii vires se extendant, in præsens proponamus. Tu vero Sanctissime Spiritus illustra mentis nostræ tenebras, ut ea dicamus, quæ Tibi glorifica, nobis vero proficua & salutaria sint. Tu Summi
DEI

DEI Spiritus Concilii hujus Praeses & Director primarie, dirige, quaeso, nostros labores, ut per te finem exoptatum obtineant, habeant. Amen.

ARTICULUS I.

continens

HISTORIAM CONCILII
HIEROSOLYMITANI.

§. 1.

Historia absolvitur ἐργασία τῶν ἠγυμένων, πραγμάτων καὶ ἐπομένων. Inter ἠγυμένα primum locum obtinet *Tempus* hujus Concilii, de eo enim variae sunt & fuerunt hactenus Doctorum sententiae & diversae opiniones. Pontificii & inter hos Baronius *ad annum Christi 51. num. 6. seqq.* Sanctius *ad cap. XV. Act. §. 5. & 20.* Cornel. a Lapide *in Comment. Epist. ad Gal. & Lorinus ad hunc locum*, unanimi consensu putant, tempus hujus Concilii incidere in annum Christi L. sed eorum opiniones & rationes vide confutatas apud Vedel. *Lib. I. de tempore utriusque Episcopatus Petri cap. V. seqq.* & in primis XV. Ludovicus Capellus *in Historia Apostolica* tempus hujus Concilii in annum Christi XLV. Claudii Imp. VI. collocat: sed refutatur ex ipsa historia Apostolica, testatur enim Paulus Gal. II, 1. se post annos quatuordecim scil. a conversione ascendisse Hierosolyma; quod iter incidit in tempus hujus Concilii, & idem est cum hoc itinere, ut ostenditur in *prae-nominata Christeide Act. I. Theatr. I. Phenom. III. pag. 144.* Vera & communior sententia est, incidere hoc tempus Concilii in annum XLIIIX. Christi, Claudii Imp. VI. vide loca citata, quibus quia fuisse hoc ipsum deducitur, possumus hoc labore in demonstrando tempore supersedere, & ad alia pergere.

§. 2. Tempus deinde excipit (2) *Locus* hujus Concilii. Hunc nominatim indicat Lucas *vers. 2.* quod fuerit urbs Hierosolymorum. Est locus ante egressum Israelitarum ex Aegypto a Cananæis populis obsessus, expugnatus autem a filiis Judæ & combustus, Judic. X, 8. Antea dictus erat Jebus, a Jebusæo filio Canaan, a quo vel etiam posteris ejus ædificatus, & in expugnatione terræ sanctæ tribui Judæ in possessionem a DEO assignatus, Jos. XV, 8. Judic. XIX, 10. Factus est hic *Locus* electum Dei habitaculum, quo se habitaturum promisit, 1. Reg. IIX, 2. 2. Chron. VI, 6. *Locus* a Nebucadnezare propter enormia populi Judaici peccata funditus eversus, 2. Reg. XXIV, 10. & XXV, 1. 9. Reparatus quoque post

captivitatem Babylonicam jussu Regis Cyri, Nehem. III, 6. in quo florenti statu permansit ad tempora Christi, & post Christi ascensionem annos XL. quibus elapsis Titus Vespasianus Urbem florentissimam vastavit & solo æqvavit, incolis per universum orbem terrarum dispersis. Est locus alias in historia Evangelica ab Evangelistis sæpius descriptus, ubi Christus in diebus carnis Evangelium prædicavit; ex quo loco juxta vaticinium Christi prodiit Evangelium, Luc. XXIV, 47. In quo miraculosa & ignea effusio Spiritus S. super Apostolos in ipsa die Pentecostes unanimiter congregatos contigit, Act. II, 1. seqq. Plura de nomine hujus loci ejusque præclara Encomia fuscè descripta legas apud Dn. D. Dorscheum Part. I. Theol. Zach. Dissertat. I. pag. 18. seq. Sanctium ad 2. Sam. V. pag. 593.

§. 3. Consideranda venit (3) *Occasio Concilii*, quæ indicatur a Luca vers. 2. & fuit *σύρραξις*, orta in Ecclesia Antiochena. Dn. Brentius ad cap. XV. Act. Homil. LXVI. pag. 325. Verba Lucæ ita habent: *γενομένης ἔν τῷ ἁσέως καὶ συζητήσεως ἐκ ὀλίγης*. Vulg. reddit: *Facta seditione non minima*, ubi notandum, quod *συζητήσεως* vocem non exprimat. Beza vertit: *orta repugnantia & disceptatione non parva*. Tremell. *facta est commotio magna & disputatio*. Omnes in eo conspirant, quod magnus excitatus sit Antiochiæ tumultus, ita, ut ad seditionem publicam turba inclinare videretur. Notant interpretes, seditionem hic sumi pro secessione & acri contentione, quasi Lucas ita diceret: Paulus & Barnabas secesserunt & dissenserunt ab aliis Judaizantibus, acriter contra defendentes, gentiles conversos non esse ad circumcisionem & observationem legis cogendos. Cornel. a Lapide ad h. l. observat, quod seditionis vocabulum quandoque in bonam, quandoque in malam partem sumatur, prout causa vel bona vel mala est. Quoniam ergo hic Apostolis tribuitur seditio & repugnantia, non debet sumi in malam partem, sed pro separatione & discessu, pro tali contentione, quæ veluti sectas faceret & schismata. Denique addit, hæc seditio populo potius tribuenda, quam Paulo & Barnabæ; populus enim fidelis, audito legis jugo, quod ei imponere volebant Judaizantes, concitavit tumultum & seditionem, ac tumultuans adortus est Paulum & Barnabam, eosque coegit insurgere contra Judaizantes, ac populi Christianam libertatem propugnare. In duas partes scindebatur Ecclesia Antiochena. Ex una parte constitutus erat (1) Paulus, electum illud DEI organon, Act. IX, 15. Fidelis Jesu Christi Apostolus, omnibus fere invisus, prout ipse fatorum suorum præco in celebri martyrologio suo exponit, 2. Cor. XI. & XII. Erat invisus enim

nim Judæis, qui ipsum Apostatam a Religione Judaica & Novatorem diris insequebantur odiis, Act. XXI, 20. Erat invisus Pseudo-Apostolis, quod nullum cum ipsis syncretismum probaret, illorumque consortium cane pejus & angue fugiendum doceret. Erat invisus Ethnicis, inter quos audiebat Spermologus & Sacrilegus, Actor. XVII, 18. Erat denique invisus & suspectus ipsis conversis Judæis, tanquam Judaismi hostis & gentilismi patronus. vid. Præsidis *Christeid. pag. 127. (2)* Barnabas, non quidem ille, qui Act. I, 23. cum Matthia in electione jungitur, sed qui Act. IV, 36. dicitur Joseph ab Apostolis cognominatus Barnabas, vir illustris & inter fideles primarius. Addunt multi, habitasse Hierosolymis, ibique cum Stephano & Paulo a Gamaliele literis sacris fuisse imbutum, ac demum ad Christum venisse una cum suo consobrino Johanne, cognomine Marcus dictus. Unde Barnabam fuisse unum ex LXXII. Christi discipulis, tradit Euseb. *Lib. III. Hist. Eccles. cap. XXXIII.* Plura vide apud Lorinum, & Cornel. a Lap. *ad h. l.* Ex altera parte contradicentes sunt Pharisæi conversi, Pseudoapostoli. Qui illi de secta Pharisæorum? vide apud Cornelium a Lapide *ad vers. 5. h. l.* Dn. Brentius *Homil. LXVI. ad h. l.* quærit: *Qui fuerunt illi Judæi? Num Judæi Christum persequentes? At illi non docebant fratres, sed comprehendebant & lapidabant eos. Fuerunt ergo Judæi, qui in Jesum Christum per predicationem Apostolorum credebant, & hi non persequiebantur quidem Christum gladiis aut lapidibus, attamen si prevaluissent sua doctrina, majus damnum Christianismo sua falsa doctrina intulissent, quam omnes Principes & Pharisæi sua crudeli tyrannide.* Hæc Brentius. Accedit, quod Lucas addat, descendisse ex Hierosolymis; ad quæ verba Gualth. *Homil. CI. ad cap. XV. Act.* Non potuit ergo non maxima esse illorum autoritas, cum Hierosolymitana Ecclesia quasi communis quædam mater omnium esset, & non immerito ab omnibus aliis observaretur, eo quod ex hac Evangelium salutis primum prodisset. Non est ergo dubium, quin Apostolorum nomen & auctoritatem impostores illi magnifice jactarint, contra vero Pauli & Barnabæ auctoritatem pro virili elevarint, quasi in Apostolorum numero minime censendus, qui non cum Jesu in carne conversatus fuisset. Unde tam crebro in Epistolis suis Apostolus contra Pseudo-Apostolos Apostolatus sui auctoritatem & characteres acerrime vindicare coactus fuit. Antesignanus & autor primarius hujus seditionis fuisse perhibetur Cerinthus, qui, teste Epiphani. *Heres. XXVIII. cum esset natione Judæus & circumcissus, omnes ad Christianismum conversos ad circumcisionem addigere voluit.* Cornel. a Lapide *ad h. l. & ad cap. XI, 2. Act.* Est idem ille, qui

qvi contra Petrum tumultum excitavit, & murmuris illius primarius autor fuit. Qvi etiam Act. XXI, 28. concitavit Judæos, ut Paulum caperent. Asseda ejus fuit Ebion, qvi mentiebatur, Paulum esse Gentilem, sed factum esse profelytum, ut Hierosolymis filiam Sacerdotis in uxorem ducere possit: verum hac spe dejectum, factum esse hostem Judæorum & Judaismi. Hæc ex Epiphanio *Heres. XXX.* citat Cornel. a Lapide *d. l.*

§. 4. Occasionem justo ordine sequitur (4) *συππάξως* hujus *Obje-ctum* seu thesis controversa, de qua Lucas *vers. 1. & 5.* Res ergo seu thesis, de qua litigium in Ecclesia Antiochena subortum fuit, erat de necessitate justitiæ legalis, moralis & ceremoniales ad salutem. Aiebant enim qvi ex Judæa Antiochiam migrarant; nisi circumcidamini secundum morem Mosis, adeoque consequenter (interprete Apostolo Gal. V, 3.) ex circumcisionis debito legem universam servetis, non potestis esse salvi. Liqvet hoc ipsum etiam ex decisione Apostolica in hoc Concilio facta. De ea enim lege erat mota controversia, quæ erat jugum importabile. Atqvi non tantum ceremonialis, sed maxime moralis est tale jugum, Matth. XXIII, 23. continens *βαρύτερα τῆ νόμος*. E. de lege non tantum ceremoniali, sed maxime morali erat hic controversia. Omnium latissime hanc rem deducit Brentius noster *Homil. LXVI, ad Act. XV.* Pauca ad institutum libet hic repetere: *Discipuli, ait, quidam, ex Judæis, Christiani facti, turbam in Antiochia contra Paulum & Barnabam & gentes in Christum absque circumcissione credentes excitant, & reprehendunt quidem Paulum & Barnabam, quod recepissent gentes absque circumcissione; Gentes autem docebant, quod non possint esse salvæ, nisi circumcidantur juxta legem Mosis. Habebat autem hæc sententia maximam pietatis speciem. Primum enim Deus ipse circumcissionem instituit, de quo Gen. X, 10. 11. 12. seqq. Deinde, quia etiam Apostoli, qui erant Hierosolymis, adhuc observabant circumcissionem, & sinebant, ut parentes CHRISTUM confitentes, pueros suos juxta legem Mosis octavo die circumciderent; cujus rei rationem, & cur hoc ab Apostolis concessum, paulo post seq. fol. addit: Postremo, quia ex circumcissione pendeat tota lex. Abrogata igitur circumcissione, videbatur tota lex abrogari, non ea tantum legis pars, quæ de ceremoniis & rebus politicis precipit; sed etiam quæ de moribus lata est. Plura si cupis hac de re, consule loc. cit. Dn. Dorscheum in Praelectionibus ad Act. Apostolor. Nonnulli, inquit, ex Interpretibus dicunt, duas esse motas controversias, alteram Antiochie de circumcissione;*
alte-

alteram Hierosolymis de circumcissione & lege morali; dico utramque fuisse de utroque: Probabilius enim est, quia Antiochenses erant ex heresi Pharisæorum, vers. 5. eandem doctrinam cum eis fovebant. Non ergo tantum de lege ceremoniali, sed etiam morali hic fuit controversia. Ostendit hoc identidem Dn. Qvistorpius in *Annotat. Bibl. ad Act. XV.* Bellarmi. *Lib. IV. de Justificat. cap. XIV.* & cum eo Pontificii fere omnes, Becanus & alii statuunt, hic motam esse controversiam tantum de lege ceremoniali. Rationes Bellarmini postmodum examinabimus, & in *Artic. V.* responsum adjiciemus.

§. 5. Hanc controversiam subortam excipit (5) *Appellatio ad Concilium & legationis destinatio*: quam proponit Lucas vers. statim 2. ἐταξάν ἀναβαλεῖν &c. vide Lorinum, vocem ἐταξάν pluribus explicantem ad hunc locum. Sensus hujus loci videtur hic esse: Antiochenæ Ecclesiæ fideles, ubi concertationem hanc indies magis magisque exardescere vident, tandem communi decreto statuunt, ut Paulus & Barnabas cum aliis quibusdam Hierosolyma profecti, quæstionem hanc Apostolis & presbyteris, qui illic erant, discutiendam proponant. Cui decreto etiam facile acquiescit Paulus, non quidem ea mente, quod veritatis causam hominum judicio subjiciendam esse putaret, sed quod probe sciret, impostores hos Apostolorum nomine abuti. Ut ergo imperitis & rudibus mederetur, quorum oculos Pseudo-Apostoli Apostolicæ autoritatis fulgore perstringebant, Consilium, quo nullum commodius & expeditius excogitari poterat, aut potuit, facile recipit. Dn. Brentius ad hæc verba *loc. cit. Vide hic piam fratrum in Ecclesia Antiochena prudentiam. Cum enim in hac controversia de observanda circumcissione & Lege Moysi utraq; pars Scripturis niteretur, & Christiani Antiocheni non possent in hoc negotio præ imbecillitate Spiritus sui quicquam pronunciare, miserunt Paulum & Barnabam, & alios quosdam ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem, ut illic hæc controversia cognosceretur, scil. in Concilio.*

§. 6. Ultimo inter ἡγούμενα non prætermittendus videtur (6) *Apostoli Comitatus & amica susceptio Hierosolymis facta*. Comites habuit supra jam commemoratum Barnabam & Titum, quod liquet ex Epist. Gal. II, 1. præsupposito enim, unum idemque esse iter hic, & ad Gal. II. descriptum, non possumus negare, Titum hujus itineris comitem fuisse, de eo enim præcipue mota videtur controversia: Paulus enim, quia nolebat concedere, ut circumcideretur Titus, hinc illud schisma, contentio & rixæ oriébantur. Lucas porro adjicit & τινὰς ἄλλοις ἐξ αὐτῶν:

B

quæ-

quæritur qui illi? Resp. fuisse ex parte adversa Cerinthi & Judaizantium, ut utraq; pars dissidentium ab Apostolis audiretur. Cornel. a Lapid & Lorin. *adh.l.* plura. Susceptionem vero amicam a tota Ecclesia & Presbyteris Hierosolymis factam illam demonstrat Lucas *vers. 4. ἀπεδέχθησαν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας*, &c. Suscepti sunt libentissime, latissime, humanissime, cum summa & unanimi approbatione & favore, (hæc enim omnia importat verbum ἀπεδέχθησαν,) propter celebrem famam & merita in Ecclesiam Christi. Paulus enim etsi jam bis a conversione Hierosolyma ascendisset, erat tamen adhuc Ecclesiis Judææ ignotus facie, ac proinde tenebantur multi tanti viri desiderio videndi, Gal I, 22. Lorinus ad hunc locum: *Suscepti sunt ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, id est, a tota multitudine seu congregatione, hoc est, omnibus fidelibus & Christianis Hierosolymis congregatis, quibus omnibus præsertim Apostolis & Senioribus omnia narraverunt, quæ DEUS fecisset per illos, & quæ hilaritate gentes Evangelium recepissent; de quo cap. XIV, 26. 27. XV, 3. 4.* Hæc de ἡγούμενοις hac vice sufficiant.

§. 7. Progredimur jam recto tramite ad *πραχθέντα* hujus Concilii, seu ad ea, quæ in ipso Concilio acta fuerunt, inter quæ primo loco conspicendus se præbet *I. Apostolorum & Presbyterorum conventus*, *vers. 6.* Quinam hi fuerint Apostoli, quorum mentionem injicit Lucas, non una apud omnes est sententia. Lorinus citat *Clem. Rom. Lib. VI. Constit. cap. XII.* qui asserit: *Omnes duodecim Apostolos Hierosolyma data opera convenisse una cum Jacobo fratre Domini, ut de proposita questione deliberarent, eodemque tempore adornatam legationem Antiochenam, cum Antiochenenses intellexissent, ea de causa convenisse.* Sed quod falsa hæc sit opinio, ipse postmodum fatetur, quando Jacobum Majorem jam ab Herode occisum fuisse, ex *Act. XII, 2.* ostendit. Baronius ad annum Christi *LI. num. 9.* dicit: *Interfuisse Petrum, Johannem, Jacobum, Paulum & Barnabam, qui nominantur ab Apostolo ad Galat. II, 9. & columna Ecclesie dicuntur: cui sententiæ & nos subscribimus.* Quæritur autem, cur non omnes ad hoc Concilium in pertractando tam arduo religionis Christianæ negotio fuerint convocati, & ubi locorum interea reliqui? Illi jam excurrerunt in suas quisq; sortes secundum præceptum Christi ante ascensionē ipsis injunctū *Luc. XXIV, 49. Matth. XXXVIII, 19. Marci XVI, 20. conf. Act. I, 8.* vide citata superius *Christeid. Act. I. Theatr. I. Phænom. III. pag. 99. seqq.* Baronium *loc. cit.* & Sanctium *Tract. I. de Prædicat. S. Jacobi in Hispan. cap. IX.* Unicum hoc prætermittendum minime

puto

puto de Jacobo, cujus mentio fit *vers. 13.* quis ille fuerit; An Jacobus filius Alphaei minor dictus, an vero præter hunc alius Episcopus Hierosolymitanus? Priorem sententiam defendere conatur Sanctius ad *h. l.* Nos cum sæpe dicta *Christeid. loc. cit. pag. 113.* ex Hieronymo in *Catalog.* certo arbitramur, hunc fuisse fratrem Domini, ut Apostolus eum appellat Gal. I, 19. Episcopum Hierosolymitanum & a duobus Jacobis majore & minore diversum; testatur enim Hieronymus ad Gal. I. *Omnes fuisse Apostolos vocatos.*

§. 8. Meminit II. Lucas *Presbyterorum*, qui ad Concilium Hierosolymis convenerunt. Presbyteri sunt Seniores ab ætate ita dicti & ad honorem & regendam Ecclesiam adsciti. Salmasius *de prim. Pap. cap. I. Tract. I. pag. 1. & 63.* Hieron. *Epist. XXXV. ad Evagr.* testatur, Marcii temporibus (hoc est, Apostolorum) in more positum fuisse, ut Presbyteri unius Ecclesiæ unum ex se electum sibi præficerent, quem Episcopum nominabant. Walo Mellalianus, quem Salmasium alii volunt, *de Episc. & Presbyt. dissert. I. cap. I.* contra Petavium ex antiquitate ejusdem dignitatis Episcopos & Presbyteros fuisse ostendit, & Dn. Blondellus *de Episc. & Presbyt. Sect. I. in Observat.* invictis argumentis paritatem Episcoporum & Presbyterorum in Ecclesia antiqua observatam demonstrat, ita ut Episcoporum nomen commune etiam sit ipsis Presbyteris. Marcus Antonius de Dominis agens de differentia Episcoporum & Presbyterorum *Part. I. Lib. II. cap. III. §. 12. seqq.* ostendere allaborat, Episcopis ab Apostolorum tempore superioritatem concessam in Ecclesia, & probationis loco ex hoc Concilio exemplum Jacobi adducit, qui ultimas dedit definitiones, ejus prælatio ergo inde, quia erat verus Hierosolymorum Episcopus; & §. 31. argumenta Hieronymi pro nostra sententia refutat. Idem agit M. Grotius *Tract. de sum. potest. circa sacra cap. XI.* Sententias eorum huc adscribere nimis longum foret, puto rem totam posse expediri solo statu controversiæ recte formato. Non enim negamus, dari ordinem inter ministros Ecclesiæ & nominatim Episcopos Presbyteris esse superiores: sed (1) distingvimus superioritatem, quæ competit illis jure divino, & quæ humano tantum sive Ecclesiastico: posteriorem ipsis libenter concedimus, & hunc ordinem etiam in nostris Ecclesiis retinemus. (2) Dicimus, distingvenda esse essentialia ministerii ab accidentalibus. Quoad essentialia, ut sunt: Prædicare Evangelium, dispensare Sacramenta, administrare claves, ordinare alios Pastores &c. paritatem omnino defendimus; quoad acciden-

talia vero, ut sunt disponere res Ecclesiasticas, regere alios, Pastores, inspectionem aliarum Ecclesiarum sibi vindicare, inæqualitatem dari, & Episcopos hac in parte Presbyteris esse superiores, libenter fatemur. (3) Negamus consequentiam: Potest enim aliquid ab Apostolorum tempore observari in Ecclesia, quod tamen sola Ecclesiastica consuetudine introductum est, uti pluribus hoc ipsum defendit Hieronym. *loc. cit.* & Chrysostom. *in 1. Timoth. III.* verba ejus sunt: *Inter Episcopum & Presbyterum interest nihil, quippe & Presbyteris Ecclesie cura commissæ est, &c.* Vide in hanc sententiam D. Hulfemannum in *Manual. Aug. Confess. Disput. XII. th. 9. & seqq.* Gerhard. *Tom. VI. de Minister. §. 234. seqq.* Rivetum in *Cathol. Orthodox. quest. XXII. Tract. II.* Alsted. *Tom. V. Panstrat. Cathol. Chamier. Lib. IV. cap. VIII.* quo brevitatis gratia lectorem remittimus. Obiter notamus hac vice, quod Lorinus, Cornel. a Lap. & alii, ex Ruperti *Lib. I. in Cant.* defendant, quod *B. Virgo Maria non quidem præsens Concilio interfuerit, (id enim feminam non decebat,) sed questionem propositam privatim consulta definiverit, & primam sententiam pronunciarit:* Sed tacente Canone sacro, etiam nos tacere oportet hac de re: certe si interfuisset, ejus mentio in epistola Synodica fuisset facta; si non sane hac parte Maria in zelo religionis superata a Pulceria Virgine, quæ Chalcedonense Concilium IV. sua autoritate plurimum juvit. Aut E. Beata Maria Virgo hic negligens, aut Pulceria fuit πολυπραγμων. vide Raderi Iesuitæ *Aulam Theodosii sanctam cap. XXII. pag. 209. §. 9.* Consideranda est συζήτησις illa, de qua Lucas *vers. 7. πολλῆς δὲ συζητήσεως γεομένης;* qualis illa fuerit; An Dialectica? affirmamus. Omnis enim συζήτησις complectitur, & propositionem affirmantem, & ex altera parte negantem. Intelligenda autem est hoc loco συζήτησις illa, quam Paulus Apostolus cum illis, qui erant de Secta Phariseorum, & a partibus Cerinthi, antequam Petrus sententiam proloqueretur, habuit. Paulum autem fuisse exactissimum disputatorem & artis Logicæ peritissimum, inde constare puto, quod in gentilium Philosophorum libris apprime fuerit versatus. Testantur hoc de ipso magna Ecclesie lumina. Hieronym. *Epist. ad Paulum Urb. Apostolus, ait, sæpe proponit, assumit, confirmat atq; concludit, quæ proprie artis dialecticæ sunt.* Idem habet Hipponæ præsul Augustin. *Lib. I. contra Cresc. cap. XIII. Paulus, inquit, dialecticus erat, & ideo cum Stoicis conferre non timebat, quia non solum acute disputabat, sed etiam veraciter, quod non illi; jam cave, ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, quæ usos Apostolos confiteris.* B.

quo-

quoque; noster Lutherus in *Comment. ad Gen.* non solum hoc elogio Paulum afficit, *Paulus*, ajens, *argutissimam & firmissimam Dialecticam tradidit, cum monstravit discrimen inter nativitatem & vocationem*: sed etiam primas lineas duxit, ac suo exemplo faciem ad analysin disputationum Paulinarum adduxit. Cum autem semper fecerit secunda praelia, nunquam perdita causa, quaeri solet, qua vi obtinuerit, an vi argumenti? num Autoritatis Apostolicæ? Posterius amplectuntur Walenburchii *Canonici Colonienses in Method. Augustin. pag. 168. Probationes*, inquit, *& consequentia non sunt sufficiens fundamentum fidei, si in seipsis considerentur, seposita autoritate supernaturali Christi & Apostolorum.* Sed actum hic agere nolumus, videnda quæ nuper prodiit *Polemosophia Præfidis*, in qua recens Sophistarum *εὐρημα* confusum & protritum legas.

§. 10. III. *Sententiam Petri Apostoli* proponimus: de qua Lucas *vers. 7. seqq.* in hac (1.) consideranda *suavissima compellatio*; ἄνδρες ἀδελφοί &c. ideo facta, ut animos auditorum sibi suavius conciliaret. (2.) *Rationes*, quas contra Adversarios legis observationem acerrime propugnantes urget, earum PRIMA desumta est a *facto divino*: quia Deus ipse gentes extra & citra legis observantiam fide illustravit, justificavit, & donis Spiritus S. ornavit, & discrimen, quod erat inter gentes & Judæos, sustulit, *vers. 9.* Respicit ad Act. X, 10. seqq. ubi Deus Cornelium per Petrum ad Evangelium vocavit, ad indicandum, Deum non esse *προσωπολήπην*, ut ipse postmodum explicat *cap. X, 34.* SECUNDA a *legis qualitate*, quia legis ea ratio est, ut ejus observantiam ipsi Sancti Patres inter impossibilia recensuerint, & jugum importabile dixerint, *vers. 10.* & qui ejus observationem, ut ad salutem & justificationem necessariam, efflagitant, tentant DEUM, & impossibilia fratribus imponunt, *vers. eod.* *Tentare Deum* (Brentius ad *b. l.*) dicuntur ii, qui viribus suis impossibilia sine verbo Domini presumunt, aut ab aliis exigunt, quod faciunt Doctores circumcisionis, a gentibus observationem legis, cui operibus suis ad plenum satisfacere nullo modo poterant, efflagitantes. Per jugum importabile impossibilitas, non tantum difficultas, ut volunt Pontificii, indicatur, de quo postea. TERTIA Petri Ratio deprompta est ab *experientia & testimonio conscientia*: quia nobis non tantum Apostolis, sed omnibus omnino conscientia & quotidiana experientia dictitat, rigorosam legis moralis observationem esse impossibilem, *vers. 10.* QUARTA Ratio est ab *exemplari divinitus proposito*: quia Deus ipse non per legem, sed per *gratiam Domini nostri Jesu Christi* non tantum Patres Vet. Test.

sed & nos aliquando justificabit, *vers. 11.* Per gratiam autem Domini nostri Jesu Christi justificari seu salvari est nil aliud, quam per fidem gratuitum Christi meritum sibi applicare, & per hoc coram Deo justum declarari. Per gratiam nil aliud intelligimus, quam favorem, dilectionem & misericordiam: non illam infusam nobis gratiam, sed gratos nos facientem, id est, gratiam justificationis & renovationis. Quæ cum ita sint, concludit Petrus, non erit necessarium ad observantiam legis, tam ceremonialis, quam moralis, gentes conversos cogere. Pontificiorum & Photinianorum exceptiones postmodum recensebimus *infra Art. V.*

§. II. Quæritur alias circa hoc factum Petri inter nos & Pontificios; *An inde primatus Petri in hoc Concilio possit probari? vel, An Apostolus Petrus fuerit summus Præses in Concilio?* Negamus utrumque. Rationes, quas ex hoc loco adducunt Pontificii, sequentes sunt; ex Bellarmin. *Lib. I. de Pontif. Rom. cap. II. §. 19.* Lorino & Cornelio a Lap. Sanctio *ad h. l.* (a) quia Petrus tanquam princeps Apostolorum & primas Ecclesie primum fuit locutus, & sententiam definitivam pronuntiavit, quem omnes secuti. (β) Probant hoc ipsum autoritate Patrum (a) Hieronymi, qui *Epist. XXCIX.* quæ inter Augustini Epistolas est *XI. cap. III.* *Petrum solita libertate usum, ait, atque in ejus sententiam Jacobum ivisse, & omnes simul Presbyteros transivisse, & Principem hujus decreti fuisse.* (b) Tertulliani, qui *Lib. I. de Pudicit. cap. XXI.* scribit; *Petrum primum omnium spiritu instinctum de nationum vocatione præfatum.* (c) Theodoret, qui in *Epist. ad Leon. Papam* ait; *Quod Paulus præco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis, qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso adferret solutionem.* Resp. autem ad objecta, (a) quod non expresse habeatur in textu, Petrum primum sententiam dixisse, præcessit enim *πολλή συζήτης*, quæ phrasin non significat tumultuariam locutionem, sed justam disputationem, ante prolatam sententiam peractam inter eos, qui inter se sententia dissidebant. Imo quod addendum, non tum primum coepit Petrus loqui, sed etiam antea locutus fuit, etiamsi id expresse non annotetur a Luca, qui more historicorum summam rei narrat. (β) Non sequitur, Petrus primus dixit sententiam. E. ut primas & summus præses dixit. Jacobo potius, si primatus fingendus in hoc Concilio, deberetur, ut qui Petri sententiam restrinxit additione eorum, quæ postmodum observanda forent: de quo vid. *Salmas. de prim. Pap. Tract. I. pag. 63.* Autoritates Patrum adductas quas attinet, possumus dicere, (a) principem in
latina

latina lingua non esse semper cum imperio, sed hoc nomine gaudere quemlibet rei autorem, ac ordinis ratione primum; ita Cicero hominem sapientissimum ac eloquentissimum vocat consilio linguaque principem, Lib. I. de Oratore num. 105. (b) Tertullianum intelligere primum non potestate, sed ordine, nec sequitur, primatem esse Imperio, qui primus est sententiæ dictione; potius invertendum est argumentum: Is est primas Concilii, qui ultimo dicit, & auditis omnibus sententiam definitivam & ἐπιπέτω addit. (c) Theodoretum recte explicandum, quippe qui non velit, quod Paulus ut Inferior ad Petrum tanquam superiorem cucurrerit, sed ex aliis causis, quas recenset ipse Apostolus Gal. II, 5. 6. Unde se etiam æquiparat Petro, dicente Oecumenio in Glossa ad cap. II. Gal. vers. 6. Addimus pro confirmatione nostræ sententiæ Chrysostom. qui Homil. XXXIII. in Act. Apost. expresse Jacobo ἀρχὴν καὶ δυναστείαν tribuit. Ex Pontificiis habemus consentientem Alphensum de Testato, quod fatentur ipsimet adversarii, Lorin. & Cornel. a Lap. vid. Alsted. in Panstrat. Cathol. Tom. V. cap. VIII. de Concil. §. 2.

§. 12. IV. Pauli & Barnabæ narratio seu interlocutio perpendenda ex vers. 12. Petrus enim cum sententiam ex Scripturis vere divinis confirmasset, ideo venerando silentio ab omnibus auditoribus & adversariis ea suscipitur. Facto autem silentio surgunt Paulus & Barnabas, & Petri sententiam confirmant narratione signorum & prodigiorum, quæ Deus fecisset inter gentes, de quo Lucas cap. præced. v. 27. Brentius ad b. l. Homil. LXVII. in fine. Quæri solet ab interpretibus de interpellationis hujus modestia; hoc enim minus competebat, ne viderentur magis pro partibus esse, quam pro veritate. Resp. Dn. D. Dorscheus, fuisse in eum finem prolata, ut confirmarent Petri sententiam, taliter: Id quod Petrus dixit, etiam nos in nostro ministerio fuimus experti. Barnabam hoc loco quidam præponi volunt Paulo, ut vocatione priorem, sed ea ratio nulla; in prioribus enim Paulus Apostolus præpositus, vera causa videtur esse, ut indicaret Lucas, nullum in hoc Concilio inter viros Apostolicos observatum fuisse discrimen: erant enim omnes autoritate pares, modestia admirandi.

§. 13. Accedit V. sententia Jacobi, quam proponit Lucas vers. 13. seqq. Silentio igitur facto, post narrationem Pauli & Barnabæ in medio confessu surrexit Jacobus tanquam Episcopus Hierosolymitanus, & sententiam definitivam ex omnium hæcenus votis perceptam tradit; dicit enim vers. 19. διὰ ἐγὼ κείνω, &c. Consideranda sunt in hac sententia

Jaco-

Jacobi (α) *repetitio* eorum, quæ Petrus prius enarraverat, quomodo Deus nempe singulari miraculo, quo contulit gentibus donum Spiritus S. quemadmodum discipulis in die Pentecostes, declaraverit, gentes in Christum credentes tam acceptum sibi populum esse absque circumcissione, quam Judæi in circumcissione. (β) *Confirmatio* sententiæ facta per oracula Prophetarum. Nota hic singularem sententiæ harmoniam & συμφωνίαν. Fingunt hic quidam enallagen numeri, pluralem esse positum pro singulari, cum unius tantum testimonium adducatur: sed rectius existimo, pluralem hic obtinere debere, quia verisimile est, plura Prophetarum loca Jacobum adduxisse, quæ cum idem dicant, noluit Lucas omnia assignare, sed præcipuum annotavit, qui desumptus est ex Amos IX, 11. 12. & notatur a Luca *vers. 16. 17.* verba in Hebræo sic habent:

כיום ההוא אקים את סכרת דויד חנפלת וגררת
את פרציהן והרסתין אקים ובניתיה כימי עולם: למען
וירשי את שארית אדום וכל הגוים אשר נקרית
שמי עליהם נאם יהוה עשה זאת:

LXX. Interpp. vertunt: Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν
Δαβὶδ πεπρωκέϊαν: καὶ ἀνοικοδομήσω τὰ πεπρωκότα αὐτῆς, καὶ τὰ κα-
τεσκαμμένα αὐτῆς ἀναστήσω καὶ ἀνοικοδομήσω αὐτήν, καθὼς αἱ ἡμέραι
τῶν αἰῶνων. Ὅπως ἐκζητήσωσι (με) οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων, καὶ
πάντα τὰ ἔθνη, ἐφ' ἧς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου, λέγει Κύριος ὁ ποιῶν
(πάντα) ταῦτα.

Apostolus Jacobus non simpliciter ad verbum vertit, vel ex LXX. Interpp. versione hæc verba citat: respicit enim scopum & sensum textus Hebraici, qui hic est: Tempore illo Nov. Test. Ego Jehovah (non reditus ex captivitate Babylonica) erigam (per prædicationem Apostolorum) tugurium Davidis, (Ecclesiam Christi, hæctenus tum per corruptelam falsorum Doctorum, tum per crudelitatem tyrannorum valde collapsam) quod cecidit, (id est, ruinam totalem jam minatur,) & septem rupturas earum (maceriarum puta uniuscujusque Ecclesiarum particularium) molitiones ejus restituum, & reedificabo illud, (ut sit tam gloriosum, quam fuit olim, ob Dominum gloriæ præsentem in carne, longe gloriosius templo priori, 1. Cor. II, 8. Hagg. II, 8. 10.) *vers. 16.* ut hæredes sint cum reliquiis Edomi & omnibus gentibus, quæ vocantur de nomine meo, (h. e. ut non tantum Judæi, sed etiam gentes reliquæ dicantur Christiani, Actor. XI, 26. conf.

conf. Joel. II, 32. *Per synecdochē domus Edom pro omnibus gentibus, prout Israelita quandoque pro membris veræ Ecclesie, ponitur*) communi cum illis hæreditate perfruantur & communem Patrem hæreditatis suæ donatorem invocent; dictum Jehovah, qui facit istud scil. *omne quod hætenus promisit*. vide Tarr. ov. ad cap. IX. Amos vers. 11. 12. Cornel. a Lapide ad Amos loc. cit. Lorinum & Sanctium ad h. l. in Acta, ubi plura reprehendes.

§. 14. (γ) *Adjectio Cause Efficientis*, cui hæc omnia sint adscribenda, illam nempe esse divinam providentiam, quæ de ordinandis mediis salutis, & vocatione gentium ab æterno fuit sollicita, & tempore scil. N. T. effectui eam reddendam decrevit, vers. 18. (δ) *Sententiæ prolatio*, quæ fit dupliciter: (Ν) κατ' ἀρσιν sive *negative*, dum διακρίνει, id est, iudicium suum addit, gentes non esse ad observantiam Legum Mosaicarum astringendas & cogendas. In textu græco habetur μή ὑπερενοχλεῖν, h. e. non esse turbandos, sic usurpatur Luc. VI, 18. Act. V, 16. *Parablos* reddit; non esse reddendam gentibus molestiam; vel non esse exhibendum gentibus negotium. *Vulgat.* passively reddit, quod active reddere debebat, inquietari, i. e. ne inquietemus. (Δ) Κατὰ θέσιν sive *positive*, dum iudicat, ut scandali evitandi gratia gentes ad aliqua libere observanda commonefierent, & a peccatis gravioribus & externis, quibus maxime dediti erant, legi Mosaicæ repugnantibus, abstinencia ipsis præscriberetur.

§. 15. Sunt autem, ad quorum abstinentiam Jacobus gentes commonefaciendas esse censet, sequentia: *ut abstineant a pollutione Idolorum vel simulacrorum, a fornicatione, a suffocato, & a sanguine*. Utitur Apostolus vocabulo ἀπέχεσθαι, quod verbum cum genitivo repertū notat summa diligentia se ab illicito & vetito temperare. Et tale quid etiam hoc loco præcipi certum est; volebant enim Apostoli in gratiam Judæorum converforum, temperarent se gentes & summa cura caverent, ne hisce comedendis & committendis Judæis scandalum præberent. C. Heinsius in *Exercit. ad hunc locum* fatetur; *nullum esse nec reperiri locum, in quo plus difficultatis invenerint & reliquerint Viri etiam summi*. Andreas Rivetus, vir inter suos accuratus in cap. IX. *Gen. Exercit. LVIII. pag. 290. seqq.* causam, cur hanc prohibitionem, antiquitus in lege factam, Apostoli repetere voluerint, affert, *quia propter antiquitatem, cum interdicta esset longe ante Mosis legem sanguinis comestio, difficilior erat ejus abrogatio, unde quo ad usum converfis ex gentilismo ad tempus commenda-*

ta fuit ab Apostolis lex de sanguine & suffocato non comedendo. Ludovicus Capellus Professor Salmuriensis in marg. ad Hist. Apostol. putat, duo ista priora idolothyta & scortationem ideo hic commemorari, quod jam tū forte gliscere inciperet in Ecclesia Nicolaitarum error, qui utrumque horum licere docebant, uti liquet ex Apoc. II, 14. 15. Duo autem posteriora, nempe sanguinem & suffocatum addita, non quasi eorum usus sit illicitus, sed ut daretur aliquid infirmitati Judæorum fidelium, qui ab his duobus vel maxime abhorrebant, neque potuissent facile in animum inducere, ut conversarentur & conviverent familiariter cum illis, quibus sanguinis & suffocati usus fuisset licitus, & in quotidiano fere victu usurpatus. vid. Dn. Qvistorpius ad Acta in Annot. Biblicis. Volunt quidam, Apostolos hæc ex septem præceptis Noachi, de quibus vid. Schickard, in Jure Reg. Hebræor. s. חַמֵּשׁ עֶשְׂרֵים cap. V. de bello, Theor. XVII. pag. 129. desumpsisse, & gentibus conversis loco Mosaicæ legis rigidissime ex decreto imposuisse servanda. Sed hæc præcepta jam ab Adamo fuerunt cognita, & maximam partem in Decalogum a Deo posita, tum etiam, ut apparet ex libris Mosaicis, populo Israëlítico præcepta. Cum hæc sub præceptis filiorum Noachi comprehenderent, optima ratione potuerunt Apostoli gentes ad observantiam illorum præceptorum reducere: (1) quia jam olim illis erant obnoxii; (2) quia omnes orti erant a Noacho: non ergo necessarium ducebant Apostoli ad ea obligare, sed necessitatis præsentis intuitu ita disposuerunt. Dn. D. Dorscheus plura annotat hac de re in lect. privat. ad Acta.

§. 16. I. A quo abstinendum voluit, sunt ἀλισθήματα εἰδώλων, vel ut Apostoli dicunt vers. 29. εἰδωλόθυτον. Clariss. Heinsius in Annot. ad h. l. ait, ἀλισθήματα non de quavis pollutione, sed ciborum & potus usurpatur, inter quos cibos vetitos ante omnes erant εἰδωλόθυτα, quæ non impura esse non poterant, quem cibum ἕδεσμα ἀλλότριον eleganti euphemia Ecclesiasticus vocat cap. XXIX, 25. 1. Cor. II, 4. dicuntur βρώσεις. 1. Cor. X, 21. τραπεζα & ποτήριον δαιμονίων. Cum ergo ἀλισθήματα εἰδώλων idem sit quod εἰδωλόθυτον, ut ex hoc ipso cap. Lucas ostendit, quaerit Heinsius, qua ratione hic inter cibos agatur de scortatione sive πορνεία? Præcipitur enim, ut a pollutis idolorum cibis sive a ciborum pollutionibus sibi caveant, cujus generis sunt, quæ idolis comparata sunt, ut cæteri, qui mox sequuntur, cibi, sanguis & suffocatum, (hi enim Dæmoniorum cibi credebantur,) Orig. Lib. VIII. contra Celsum. Et hoc de Indis Strabo recenset Lib. XV. Geograph. Respondet ergo per πορνείαν intelligendam esse

esse πορνικὴν θυσίαν, h. e. victimam illam, quam meretricia mercede paratam Veneri offerebant, de qua *Deut. XXIII, 18.* Quam observationem elegantem ex Heinsio sicco pede præterire nolimus, cum non male hunc locum alias intricatissimum explicet. Potest ergo illud ἀλίσημα tam ad idola, quam πορνείαν referri. Πορνείας vocem, cujus abstinentiam II. mandat, ita ulurpare videtur Athanasius adversus gentes. Verba ejus sunt: *Neque in profanis eorum templis quisquam castus est, nisi de cujus libidine testari possunt alii. Ita fœmine in similibus Phœnicia templis sese publice prostituiebant, quæ corporis mercedem sui Diis suis offerebant, quod meretricia oblatione placari, propitiosq; reddi sibi crederent Deos.* Verba græca huc facientia ita sonant: νομίζουσα τῇ πορνείᾳ τὸν Θεὸν ἐαυτῶν ἰλάσκεσθαι. Plura de hoc more gentibus usitato annotat ex Herodoto Dn. Qvistorpius in *Annotat. Bibl. ad Mich. I, 7.* Unde expresse Israelitis *Deut. XXIII, 18.* Deus legem interdictoriam dedit. Nec inconcinne ex *LXX.* hanc vocem ita interpretamur, Num. XIV, 33. 2. Reg. IX, 22. Mich. I, 7. Non improbamus tamen illorum sententiam, qui tam de corporali, quam etiam spirituali scortatione, apud gentes maxime usitata, hunc locum exponunt; de quo Heinsius dicto loco. Plura si de his vocibus cupis, adi Comment. Lorin. Sanctium, & Cornel. a Lap. ad b. l. vide etiam Dn. D. Joh. Tob. Major. in *Exegem. loc. diff. ad Act. ad b. l. III.* Præcipit abstinentiam Jacobus a suffocato ἀπὸ ἑπικτῆ. Reperiuntur quidam, qui putant, hanc partem non fuisse ab Apostolis additam, quoniam quidam, recitantes leges sancitas Apostolorum, de ipsis tacent. Iren. *Lib. III. cap. XII.* Tertullian. *Libr. de Pudicit. cap. XII.* Cyprianus *Lib. III. ad Quirinum in fine.* Ambros. in *cap. II. ad Gal.* addit, Sophistas Græcorum hoc addidisse. Causa additionis ex Augustin. *Lib. XXXII. contra Faustum cap. XIII.* fuisse videtur, ut præceptum de immolatis & sanguine eo melius declararetur: non enim debebant sanguinem comedere nisi effusum. Sed ad hoc dicendum, omnes Patres tam Græcos quam Latinos plerosque & vetustissimos Codices legere ita, prout hodie reperitur, & hæc lex de suffocato jam Lev. XVII, 15. data, ut abstinerent Israelitæ a suffocato. Suffocatum h. l. est, quicquid interit non effuso sanguine, sive id contingat in morticinio, sive in eo quod strangulatum est laqueo. vid. *loc. Lev. cit.* Præceperunt Apostoli abstinentiam a suffocato in gratiam Judæorum quidem, sed ut simul hoc ipso gentes conversas a non conversis fecernerent. Sanctius ad b. l. §. 32. IV. Quod



mandatur est abſtinentia a ſanguine: cur hoc? cauſam habet Cyrillus Hieroſol. *Catech. IV.* ut fideles recederent a more Barbarorum, Cornel. a Lap. *ad Gen. IX, 4.* ubi Deus etiam hoc præceptum Noacho dedit, tres adducit cauſas; (α) ut abſterrerentur homines ab effuſione ſanguinis, ſive homicidio. (β) Quia Deus ſibi ſanguinem in ſacrificiis ſolus deſtinaverat offerendum, *Levit. XVII, 11.* (γ) Quia brutorum ſanguis gravis & melancholicus multarum aegritudinum cauſa eſſe poterat. Sanctius *ad h. l.* dicit, quosdam exiſtimare hic homicidium vetari, ſic etiam Cornel. a Lap. ex Tertull. recenſet. Putamus intelligenda hæc eſſe de ſanguine e vivo corpore expreſſo, vel etiam de membro a vivente animali amputato, vel etiam de ſanguine quovis alio modo hauſto, aut comeſo: hæc enim omnia gentibus uſitata fuiſſe monſtrat in primis Sanctius *ad h. l.* Nos hac vice ſuperſedemus pluribus hanc rem deducere, qui plura de his cupit, conſulat Autores allegatos, & Rivet. in *Genef. Exerc. LVIII. pag. 290.* (5) Conſideramus in ſententia Jacobi *rationem adjectam*, quæ talis eſt: quia Judæi, tanto tempore legis Moſaicæ recitationi adſveti, vehementer offenderentur illa ſimultanea morum & legum Moſaicarum mutatione: monet ergo Jacobus, redimendam eſſe ad breve tempus per diſpenſationem concordiam, donec paulatim clarius innotefceret Libertas per Chriſtum parta, & tempus ſepulturæ, Synagogæ Judaicæ a Deo deſtinatæ, propius adventaret. Hanc rationem ex Chryſoſtomo etiam Lorinus adducit. Hæc de ſententia Jacobi dixiſſe ſufficiant. Procul dubio itum eſt in eandem ſententiam a toto ſenatu: addit enim Apoſtolus Paulus *Gal. II, 9* quod Johannes cum Jacobo & Petro ipſi & Barnabæ conſenſerit.

§. 17. Progredimur nunc ulterius (6) ad *Definitionem Apoſtolicam univerſalem*, quæ habetur *verſ. 22.* In univerſali enim concluſo conſentiunt omnes, Apoſtoli, Presbyteri, & tota Eccleſia. Indicatur verus proceſſus in Concilio; Judicium enim deciſivum non tantum ad priores & ſuperiores, ſed etiam ad totam pertinet Eccleſiam; quod notamus propter Pontificios, Presbyteris & Laicis, præter conſenſum, omne judicium denegantes. Definitio in hoc Concilio Hieroſolymitano (annotante in *Chriſteid. pag. 657. Præſide duplex*, (a) *Dogmatica* in eo, quod ſtatuerint Apoſtoli cum tota Eccleſia, non eſſe aliud medium ſalutis ſive juſtificationis quærendum, quam per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, de quo Petrus *verſ. 11.* (b) *Moralis*, nempe onus aliquod gentibus

bus conversis imponendum, non ut eo tanquam medio salvarentur sed quo, ut vinculo, svavius cum Judæis conversis coalescerent: de quo *supra* §. *praced.* Quo definito pergit Lucas, placuit Apostolis, Presbyteris & toti Ecclesiæ, eligere unanimi consensu probatæ fidei viros, Judam cognominatum Barnabam, Actor. I, 23. & Sylam (i. e. Sylvanum contracte, quem putant fuisse ex numero Prophetarum, quorum mentio fit Eph. IV, 11.) eosque mittere cum Paulo & Barnaba ad fratres Ecclesiæ Antiochenæ. Causam hujus rei addit Stapletonus in *Antidot. ad Act. Apost. pag. 379. ut Apostolicum decretum viva voce traderent, ejusq; sententiam exponerent*: sed illa nimis frivola est. Nam Concilium non misit Judam & Barnabam ideo, quasi decretum non esset sufficiens, nisi accederet viva voce traditio, sed ut Ecclesiæ Antiochenses redderentur eo certiores de sententia Apostolica; debebant enim *vers. 27.* narrare τὰ αὐτὰ, h. e. eadem ipsa, quæ scripto comprehendebantur. Paulo & Barnabæ, quia erant in lite, de qua *vers. 2.* dictum, parcitum est; maluerunt Apostoli mittere quosdam extra litem constitutos, quos Germani nostri solent vocare unparthenische Leute / quibus fides non poterat denegari.

§. 18. Ultimum inter *παραθέττα Concilii* locum obtinet (7) *Epist. Apostol. Synodica*, de qua Lucas *vers. 23. sqq.* In qua consideranda (1) *Compellatio salutatrix, vers. 23.* An *græce* fuerit hæc *Epistola* scripta, non certo constat, verisimile tamen est, cum ea lingua apud gentiles præsertim esset usitatissima. Usitata salutationis formula utuntur; *χαίρω*, i. e. lætari, pro quo Hebræi *שלום*, Latini, salutem. De variis salutandi formulis vid. Lorin. *ad h. l. & 2. Job. Epist. vers. 3.* Fratrum nomine eos compellant tanquam singulari epitheto, *neque enim aliud* (Brent. *ad hunc locum*) *est cognomen, quod Christianos jucundius admoneat fidei suæ in Christum, & charitatis in proximum.* Fratres dicuntur Christiani, non tantum, quod se invicem fraterno amore prosequi debeant, sed ideo potius, quod sint Christi cohæredes, qui naturalis DEI summi Filius, illi vero adoptivi, per hunc, filii. (2) *Repetitio controversiæ ad Apostolicum Collegium delatæ, vers. 24.* Audivimus Judæos contra mandatum vobis terrorem incussisse, quod in Christianismo non sit salus, nisi suscipiatur & Judaismus; destruentes pacem & quietem Ecclesiarum vestrarum, quam habetis in Christo per fidem; dicentes etiam Christum & Evangelium non sufficere ad salutem, nisi addatur & circumcisio & observatio legis.

Unde evidenter apparet, non tantum de circumcissione, sed etiam Lege universa fuisse controversiam; de qua contra Romanenses postea. (3) *Solemnis commendatio legatorum*, Virorum sua non quarentium, nec suæ studentium commoditati, sed in mortis discrimen animas pro nomine Iesu Christi Domini nostri ponentium. Anima hic ponitur pro ipsa vita, Job. XIII, 14. Psal. CXIX, 109. (4) *Sententia Synodica, & definitiva per Jacobum facta, ascriptio, vers. 28. 29.* in qua indicant, *partim summum & primarium hujus Concilii Presidem & Directorem*, illum scilicet fuisse Spiritum Sanctum super Apostolos in festo Pentecostes in visibili specie ignis effusum, Act. II, 2. 3. 4. *Recto ordine*, inquit Dn. Brentius ad *h. l. dicunt, visum est Spiritui Sancto & nobis. Nostra enim sententia non debet præire, sed Spiritus Sancti ductum sequi.* Certi erant Apostoli de sententia Spiritus Sancti ex decisione, non nisi ex Scripturis, per quam Spiritus Sanctus loquitur, facta. Deinde etiam ex promissione Christi, fore hunc ipsum Doctorem & Ductorem illorum, Ioh. XIV, 16. XV, 26. XVI, 13. Beza ad hunc locum: *Ea demum est, ait, legitima Synodus, cui Spiritus Sanctus præest. Partim Universale decretum*, ab omnibus in Concilio congregatis approbatum proponunt & repetunt, quod cum supra satis sit explicatum, crambem bis coctam apponere nolumus. Hoc solum observetur, quod dicant; *Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c. præter ista necessaria, &c.* Ad quod Beza: *Non intelligi debere necessitatem præcisam & absolutam, sed conditionatam & restrictam ad certum tempus*, ut A. C. & Apol. Confess. *abusu ult. pag. 295.* testatur, de quo infra. (5) *Ad quos exarata sit hæc Epistola? ex vers. 23.* Resp. ad Gentes Antiochenas, Syras & Ciliciæ populos, quos etiam ad tempus hæc præcepta obligabant. Omnes non obligatas esse ad hujus decreti observationem, patet ex Apostolo I. Cor. X, 25. Corinthiis mandante: *quicquid in macello venditur, edite.* (6) *Clausula ordinaria ἕρρωθε*; docet hoc de Græcis Lucianus in *Apol. De Latinis Ovid. Lib. Trist. Eleg. III.*

Accipe quo semper finitur Epistola verbo,

Atque meis distent, ut tua fata, vale.

Subscriptiones num fuerint subjectæ, dubitant Autores. vide si placet, Lorin. ad *h. l.* Non tamen videtur hoc loco sicco pede prætergrediendum, quod Lorinus & Cornel. a Lapide, & alii ejus asseclæ asserere conantur, plura in hoc Concilio, quam literis Synodicis comprehenduntur, fuisse peracta, & probare satagunt ex Clem. Const. *cap. XII.* verba
ejus

ejus sic habent: *His peractis remansimus nos pluribus diebus Hierosolymis, conquirentes una, quæ in communem utilitatem ad correctionem spectabant.* Turrianus ad locum Clementis intelligit hoc de canonibus Apostolorum. Resp. autem, rem esse omnino incertam, cum Sacer Codex ne jota hujus rei insinuet, & Canones Apostolorum esse supposititios, & sequioris seculi scriptum, monstravere ex Nostratibus, Gerhard. *Libr. I. Confess. Cathol. part. II. cap. VI.* Centur. Magdeburg. *cent. I. Lib. VII. Præf. Christeid. pag. 889.* & alii. Ex Reformatis Scultetus in *Medull. Patr. pag. 370.* Rivetus in *Critico sacropag. 99. & seqq.* Hactenus *περαχθέντα.*

§. 19. Sequuntur *ἐπόμενα* hujus Concilii Hierosolymitani; inter quæ primo loco recensemus (1) *Epistolæ Apostolicæ redditionem vers. 30.* Postquam enim dimissi erant, profecti sunt cum comitibus Antiochiam, ubi congregata multitudo tota (non tantum Presbyteris & Senioribus, ad quos tantum spectare dicit omnia cognoscere Lorinus) literas tradiderunt. Quis horum tradiderit, an Paulus? an Syllas & Judas? quæri solet. Probabilius esse censemus a Juda & Sylas redditam fuisse Epistolam, ideo ne suspicionis ansa relinqueretur, sed amoveretur a Paulo & Barnaba, qui certæ partis fautores erant. Convocati autem fuerunt non tantum gentes, ad quas proprie spectabat negotium, quam ii etiam, qui erant ex circumcissione, ad audiendum decretum Apostolicum, vel etiam, ut alii volunt Judæi conversi, sua sponte sola fama excitati, ad audiendam sententiam comparuerunt. (2) *Singulare gaudium Ecclesiæ Antiochena, vers. 31.* Gaudebant enim Gentes cum consolatione, id est, consolationem receperunt, quam eis dederunt Apostoli, amoventes ab eis onus & jugum grave legis Mosaicæ. Quia ergo non amplius debebant subire jugum Legis, propter quod in magnam perturbationem animi inciderant ac metum; securis animis & tranquilla conscientia propter responsum Spiritus S. & Apostolorum, lætabantur. Qui aderant ex circumcissione fideles, eandem percipiebant lætitiâ, eamq; sentiebant, si obsequentes, si refractarii, caute tamen dissimulabant. (3) *Fratrum in Ecclesia Antiochena confirmationem, vers. 32.* Judas enim & Silas, quoniam essent Prophetæ, (h. e. non tam futura pronunciantes, quam de sacris literis & mysteriis apposite & accurate differentes, & docendi munus exhibentes,) plurimo verbo (i. e. divite sermone, qui abundaret mysteriis & consolationibus divinis a Spiritu Sancto ipsis communicatis) consolabantur fratres, & *ἐπεσηρίξαν*, h. e. confirmarunt in doctrina Apostolica

stolica de fide, de justificatione coram DEO, & salutis mediis consequendis. Notat alias vox græca, denuo stabiliverunt & insuper confirmarunt ad designandam diligentiam assiduam, a Viris hisce Apostolicis in confirmanda doctrina Apostolica impensam.

§. 20. (4) *Decreti Synodici traditionem*, quam quidem Lucas non hoc capite, sed seq. cap. XVI, 4. & XXI, 25. exprimit. Testatur enim ibidem, Paulum cum Sylla Antiochia abiisse & perambulasse Derben, Lystram, & reliquas Syriæ & Ciliciæ civitates; tradidisse (*παρεδίδου*) præcepta sive decreta, dijudicata ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano, quæ nulla alia sunt, aut esse possunt, quam quæ in hac Synodo formata; *Dogmatum enim nomine*, notante Beza, non debet ipsa doctrina Apostolica hoc loco, sed placita Concilii Hierosolymitani intelligi. Romanenses hæc verba, nescio, ad quas traditiones detorquent, quas ab Apostolis, eorumque successoribus quasi per manus Ecclesiæ traditas, nunquam vero scriptis mandatas fuisse, fingunt. Nominatim Wilhelm Bailius in *Catech. Controv. Trad. I. Sect. IX.* ex hoc loco sic concludit: *Non semper ad Scripturam esse provocandam, satis esse, si observentur dogmata Presbyterorum.* Resp. vero, Paulum (a) non tradidisse nova dogmata, sed illa ipsa, quæ fuere scripta, & Antiochenæ Ecclesiæ scripto exhibita. (b) Paulum Apostolum non indefinite omnium Presbyterorum, sed eorum, qui in Synodo Hierosolymitana fuere congregati, dogmata exhibuisse; Unde nec simpliciter concludit: debetis vestrorum Seniorum, sed illorum tantum, qui sunt ἐν Ἱερουσαλήμ, observare dogmata.

§. 21. (5) *Decreti observantiam.* Præceptorum horum observantiam sancte ad tempus in Ecclesia fuisse habitam, patet ex Martyrologio Bibliidis (Euseb. Lib. VI. cap. I.) quæ in tortura ad se reversa, & velut e profundo somno excitata, per temporarium illud supplicium de aeterna gehennæ pœna cogitavit, & contra spem terroribus contradicens: *Quomodo, inquit, infantes ederent illi, quibus ne irrationalium quidem pecudum sanguine vesci licet.* Confer quæ hac de re Tertullian. *Apol. advers. Gentes cap. IX.* profert: *Erubescat error vester Christianos, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quod suffocatis & morticiniis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto.* Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet, illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. E, adhuc tempore Tertulliani observatio horum

rum

rum præceptorum vigeat. Non tamen inde sequitur, quia hic sanguinis comestio cum prohibitione scortationis, quæ ad Legem moralem pertinet, conjungitur; Ergo ejus interdictio est perpetuæ observationis. Quare hæcenus non potuit adduci Ecclesia græca, ut prohibitionem suffocati & sanguinis pro Lege ceremoniali haberent, cujus usus cessavit in Ecclesia, de qua §. seq. 23. *Unde factum sit, quod Petrus immemor hujus decreti Apostolici, lapsus in hypocrisin, Gal. II, 13. seqq. queritur?* Subscripserat enim Epistolæ Synodicae Antiochiam ex Concilio missæ, de non imponendo Ethnicis onere, præter necessaria quædam. Resp. Contigit hoc ex negligentia & ex metu Judæorum *ἑλλώτων νόμος*, Act. XXI, 20. venientium a Jacobo Hierosolymis. Quo facto, cum scandalizarentur non tam circumcisi, Barnabas & alii, statuentes *ἀθέμιτον εἶναι κολλᾶσθαι ἀλλοφύλω*, Act. X, 28. nedum convesci cibus lege prohibitis; quam præputiati, maceriam inter Judæos & Gentes nondum ruptam putantes, contra Synodi decretum; restitit ei in faciem coram omnibus Paulus Apostolus Gal. II, 14. Vid. Præsid. *Syncretism. pag. 74.* Marc. Anton. *de Dominis Lib. I. de Republ. Eccles. cap. XI, §. 13. seqq.* Error Petri circa hoc factum erat in praxi, non in theoria.

§. 22. (6) *Apostolicam Decreti explicationem: Veram & sinceram ex* Apostolo Paulo in Epist. Rom. III, 28. *Arbitramur, hominem justificari fide absque operibus legis: conferentes simul locum Gal. II, 16, seqq. Per opera Apostolus non tantum ceremonialia, quia nimis clare perstringit tam Gentes, quam Judæos, omnesque eadem ratione justificari contendit vers. 29. sed etiam moralia intelligit, quæ in hoc Concilio Hierosolymitano maxime in controversiam venerunt: ad illa enim præstanda obligabat circumcisio, & illorum jugum, exponente Petro vers. 10. supra §. 4. erat Gentibus importabile. Hodierni Pontificii distinguunt inter opera irrogenitorum justificatione prima priora, & opera regenitorum justificatione prima posteriora: Illa tantum, non hæc excludi volunt. Sic Bellarmin. *Lib. I. de Justific. cap. XIX.* Addatur Conzen. Cornel. a Lapid. & Estius *ad h. l.* Sed contrarium, quod etiam opera regenitorum ab Apostolo excludantur, demonstramus, cæteris brevitate gratia omissis, cum videri possint in *Prælect. publ. ad Epist. Rom. h. l. Præsidis:**

(α) *Ex scopo Apostolico, qui est omnem gloriandi materiam eripere Romanis, ut omne os obstruatur.* (β) *Ex operum natura: Illa enim sine dubio opera excludantur, quæ bona; malis enim nemo justificatur.* (γ)

D

Ex



Ex loco parallelo, Tit. III, 5. ubi aperte removet Apostolus opera, facta ἐν δικαιοσύνη. E.

Spuriam vero, & nimis extensam; de qua Augustin. *Libr. de fide & operibus cap. XIV.* verba ejus sunt: Cum ergo dicit Apostolus, arbitrari se, hominem justificari per fidem sine operibus Legis, non hoc agit, ut præcepta ac professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat quisq; se per fidem posse justificari, etiam si Legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum. Abusi sunt post hæc tempora Apostolorum decreto Pontifices Romani, & nimis extenderunt. Gregor. II. qui Bonifacio Archi Episcopo Moguntinensium suo in germaniam Apostolo scribit: Interea agrestem caballum aliquantos adjunxisti comedere, plerosq; & domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps sinas, frater sanctissime, sed quibus potueris (Deo juvante) modis per omnia compeſce, & dignam eis indicito pœnitentiam. Immundum enim est atq; execrabile. Et Zacharias ejus successor, qui floruit juxta Baron. Ann. 750. eidem Bonifacio de illicitis vel licitis cibis quærenti, respondet in hunc modum: De quibus flagitasti a nobis, quæ recipienda, quæ respicienda sint, imprimis de volatilibus, id est, graculis & corniculis atq; ciconiis, quæ omnino cavenda sunt ab esu Christianorum: etiam fibri atq; lepores & equi sylvatici multo amplius cavendi. Imo eo usq; processit, ut lardum prohibitum voluerit, nisi fumo duratum, aut igne coctum. Reperiuntur hæc Epistolæ Tom. II. Concil. In eandem sententiam postmodum judaizavit Concilium Wormatiense, statuens *Can. LXV.* non licere comedere aves & alia animalia retibus strangulata. Sic in Ecclesia olim Romana actum. In Græca etiam nimis diu duravit: non potuerunt enim Græci adduci, ut sanguinis & suffocati comestionem pro Lege ceremoniali haberent, unde ex *Can. LXIII.* Apostolorum (ut vulgo, licet falso, dicuntur) Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus invehitur in Latinos, cibos indiscriminatim capientes, & suffocatum comedentes. Videatur de his Dn. Dorscheus in *Prælect. ad Act.* Rivetus in *Genes. Exerc. LVIII. pag. 291.* & *Cathol. Orthodox. Tract. II. Quest. II. §. 3.*

§. 23. (7) *Obligationis cessationem:* Hanc suppeditat D. Hipponensium Episcopus Augustinus *Lib. XXXII. contra Faust. Manich. cap. XIII.* Transacto vero, ait, illo tempore, quo duo illi parietes, unus ex circumcissione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent; tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant, & ubi Ec-
clesia

clesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israëlita carnalis appareat, quis jam Christianus hoc observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est: aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere excisus est. Et qui forte pauci adhuc tangere ista reformidant, a cæteris irridentur: Ita omnium animos in hac retinuit illa sententia veritatis, Matth. XV, II. Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit, nullam cibi naturam, quam societas admittit humana, sed quæ iniquitas committit, peccata condemnans. Cornelius a Lapide ostendit, usu fuisse abolitam legem, cessante dissidio Judæorum & Gentium, cum utriq; plane in unam Ecclesiam coaluissent. Ipsi Jesuitæ Moguntinenses decreti abolitionem insinuant in *Animadvers. ad Anti-Becanum Crocii*, pag. 10. Nonne, ajunt, Apostolica lege sancitum est, ut Christiani se abstineant a fornicatione, immolatis, suffocatis, sanguine? Atq; horum primum quidem jure naturæ firmum manet, alterum S. Paulus I. Cor. X. interpretando mitigat & moderatur. Lex quia erat interimistica (ait Dn. Dorscheus in *Prælect.*) Ergo cessantibus causis expiravit. Tamdiu enim debebat durare, quam scrupulus conscientiæ nondum firmatæ eximeretur. Huc usque historia Concilii: succedit

ARTICULUS II.

proponens

DIVINITATEM CONCILII.

§. 24. Divinitatem Concilii Primi Hierosolymitani probamus I. ex immediata assistentia & præsentia S. Spiritus, elucescente ex decreti formula, quæ primarium & summum Concilii Directorem & Præsidem evidenter ob oculos ponit. Decretum Synodicum sic incipit: *Visum est Spiritui Sancto & nobis* scil. Apostolis, Viris simul & unanimiter instinctu Spiritus Sancti congregatis. Decretum sane authenticum & Divinum, cujus inspirator Spiritus S. Doctor omnis veritatis, a Christo discipulis promissus, Joh. XVI, 14. Rector eorum, qui in Concilio convenerant, & ad pacendam Ecclesiam Christi sanguine partam, Act. XX, 28. a Spiritu Sancto constituti fuerant. Certitudinem assistentiæ & præsentii Spiritus Sancti inde cognoscimus, quod in hoc Concilio non nisi ex Scripturis a Spiritu Sancto divinitus inspiratis res controversa sit dijudicata. II. Ex decisione Virorum Θεοπνεύστων in hoc Concilio congregatorum, hoc est, talium, qui ab ipso Spiritu Sancto immediate ipso Pentecostes die in Urbe sancta per ἐπέλευσιν virtute ex alto induti, & singularibus præ cæteris

D 2

Do-



Doctoribus Ecclesiae characteribus insigniti fuerunt, ut tantae & tam difficili expeditioni pares constituerentur. Characteres, quibus reliquos superarunt, sunt (1) *Vocatio ab ipso Christo immediata*: haec enim maxime ab Apostolo requiritur, unde cum Apostolorum ordini in locum Judae Matthias addendus foret, per sortem Divino arbitrio ipsius vocatio committebatur, Act. I, 26. & Paulus eisdem superaddendus, voce caelitus delapsa, ab ipso Christo vocatus est, Act. IX, 6. seqq. quae immediata vocatio etiam cum Apostolis desuit. (2) *Lumen θεοπνεύσεως & infallibilitatis absoluta*; hinc eorum doctrina est θεόπνευστος & αὐτόπρις, parem cum Prophetis scriptis auctoritatem obtinens: & Ecclesia dicitur aedificata super fundamentum immobile Prophetarum & Apostolorum, Eph. II, 20. Apocal. XXI, 14. quorum doctrina ad divinae veritatis fastigium evecta, ut eidem contradicere aut detrahere anathema importet, Gal. I, 8. 9. Apoc. XXI, 18. (3) *Eminens Sanctitas*, quae non permisit errorem fundamentalem. Vitam Apostolorum depingit Corn. a Lap. ad 2. Cor. XII, 27. pag. 400 sed ita, ut hodie in Apostolicae fedis ac vitae jactatoribus vitam Apostolicam desideret; verba ejus sunt: *Apostoli principes Christi, primates Ecclesiae, non in palatiis, non in rbedis, non in sericis togis, non in nobilium, famulorum, militum, equorum, canum venaticorum turba, non in conviviis & symposiis, non in opimis beneficiis, non in molli, delicata, ac splendida vita triumphant, sed exultant & gloriantur in fame, in siti, in labore, & aerumna, frigore & nuditate, in perenni ad barbaras gentes peregrinatione, persecutione, predicatione, fustigatione, flagellatione, lapidatione, morte, martyrio, fatigationibus nocturnis & diurnis; omnibus omnia fiunt, neminem aspernantur, patres sunt pauperum & afflictorum, barbaros, rudes, inopes docent, evangelizant, eleemosynas corrogant.* (4) *Visio Christi in carne ocularis*, quam Apostolus Petrus in electione Matthiae in locum proditoris requirebat, Act. I, 21. Unde cum Paulus ad Apostolatam vocabatur, Christus ei e caelo se conspiciendum praebuit, Act. IX, 1. I. Cor. XV, 8. de qua visione gloriatur contra Pseudo-Apostolos, I. Cor. IX, 1. (5) *Legatio universalis, sive Predicationis Universalitas ab ipso Christo ante ascensionem ipsis injuncta*, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Reliquorum Ecclesiae Pastorum ab Apostolis ordinatorum officium ad certum quendam locum erat adstrictum: Sic Ephesinae Ecclesiae ministri certi gregis Episcopi a Spiritu Sancto non immediate, sed mediate per Apostolum erant praepositi, Tit. I, 5. (6)

Θαυμα-

Θαυματουργία *miraculosa*, Matth. X, 1. Marc. XVI, 17. & exinde τέρατα καὶ δυνάμεις σημεῖα τῶν Ἀποστόλων vocantur 2. Cor. XII, 12. quorum referimus donum lingvarum Apostolis per effusionem Spiritus Sancti communicatum, Act. II, 3. & quod per impositionem manuum peculiariter Spiritus Sancti χαρίσματα conferre potuerint, Act. VIII, 17. vide in hanc rem Præsid. *Christeid. pag. 94.* Quæ certe in unum collecta magnam hujus Concilii autoritatem & Divinitatem arguunt. Quærat autem aliquis; *An etiam Jacobus Episcopus Hierosolymitanus dicendus sit Θεόπνευστος non minus, ac Apostoli reliqui?* Resp. Distingvendos esse gradus Θεόπνεύσεως & Prophetiæ: fuerunt enim in primitiva Ecclesia Viri Sancti extra ordinem χαρίσμασι quibusdam ornati, minore quidem mensura, quam Θεόπνευστοι Apostoli, omnis erroris securi, & illi subiecti fuerunt iudicio Spiritus Sancti per alios Prophetas loquentis, 1. Cor. XIV, 29. eo quod cum Spiritu Divino adhuc conjunctus fuerit humanus, Act. XXI, 4. Ex horum numero, qui minori mensura Spiritus, sive donis instructi fuerunt, puto fuisse hunc Jacobum, qui licet in eo gradu non fuerit Θεόπνευστος, quo Apostoli reliqui; fuit tamen vir singulariter illuminatus, & ad Episcopatum ab Apostolis electus, teste Hieronym. *loco supra allegato.* Marc. Anton. *de Dominis pag. 1. de Republ. Eccl. Lib. II. cap. II.* Resultat ergo hinc summa hujus Concilii autoritas Canonica & authentica, quæ parem cum ipsa Scriptura Sancta autoritatem habet.

ARTICULUS III.

exhibens

AUTORITATEM HUIUS CONCILII.

§. 25. *Alterum* attributum, quo Concilium hoc præ reliquis excellit, est *Sanctitas*, quæ ex triplici ratione fit manifesta, (1) *Ex assistentia Spiritus Sancti*, cujus instituto, & instinctu hoc Concilium fuit celebratum, unde sic concludunt: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Sanctissimi Spiritus arbitrio & consilio standum fuit, qui immediate per Apostolos rem totam eo direxit, ut gentes ab onere legis absolverentur. (2) *Ex presentia Christi Servatoris nostri*, in cujus nomine ac numine facta fuit hæc congregatio, juxta promissum Matth. XVIII, 20. Pontificii & præsertim Bellarmin. *Lib. I. de Conciliis*, ferram altercationis nobiscum trahunt in explicatione hujus phraseos. Volunt nil aliud intelligi, quam jussu ac autoritate Christi convocari, hoc est, vel ab eo, quia Christo habet

D 3

auto-

auctoritatem congregandi, vel ab eo, qui Petro, cui Christus Ecclesiam regendam commisit, succedit, h. e. a Romano Pontifice, qui est Pastor omnium ovium, Regum, Imperatorum. Sed regerimus, explicationem hanc esse falsissimam, & niti hac falsa hypothese; quod Papa Romanus sit caput & principium Ecclesiae visibilis, cujus iudicium de religione sit prorsus infallibile, si ex cathedra doceat. Bellarm. *Lib. II. de Pontif. cap. XII. & Lib. II. Quam sententiam pluribus & quam prolixissime prostratam vide apud Gerhard. Confess. Cathol. Lib. II. Art. IV. cap. I. Gesner. Tract. I. Lib. I. Art. I. de Conciliis cap. VII.* Deinde non sufficere, ut, qui in nomine Christi congregari debent, iussu ac auctoritate Christi conveniant: sic enim conciliabula Satanæ quandoque in nomine Christi congregata fuere, sed requiri, ut convocati ac congregati in nomine Christi etiam veram & salvificam in Christum fidem, fidei fructus, obedientiam, humilitatem, studium pietatis, ardorem veritatis, auscultationem & meditationem verbi assiduam secum efferant. Nam iis, qui hoc pacto conveniunt, gratiosam suam praesentiam, & precum exauditionem promisit Marc. XI, 24. Alii Papistæ melius explicant, Jansenius in *loc. Matth. Congregari in nomine Christi, est propter Christum & aliquam causam pertinentem ad Christum congregari.* Et Arias Montanus in *h. l. Congregari in nomine Christi, est ejus Spiritu & virtute convenire.* (3) *Ex sanctitate normæ Scripturæ Canonicae, ad quam omnia in hoc Concilio definita ab Apostolis.* Jacobus enim surgens Petri suffragium ex solis Scripturis Prophetis comprobavit: *τάτω, αἰ, συμφωνῶσιν οἱ λόγοι τῶν Προφητῶν καθὼς γέγραπται, Act. XV, 15.* Et hoc ipsum D. O. M. severe præcepit Jesa. VIII, 20. *ut legem & testimonium, h. e. Scripturam Vet. & Nov. Testamenti, tanquam unicum Ducem sequamur, cum hac adjuncta comminatione, quod is, qui hanc normam Scripturæ sequi recusaverit, aurora, h. e. æternæ beatitudinis lucem nunquam sit aspecturus.* Et ipse Apostolus Petrus omnibus in universum hoc inculcat 1. Pet. IV, 11. *Si quis loquitur, loquatur ὡς λόγια τῆ Θεῆ.* Et in 2. Epist. cap. I, 20. diserte a privata sive propria ἐπιλύσει Scripturarum nos avocans, jubet attendere *λόγῳ βεβαιωτέρῳ προφητικῷ, qui potest illuminare mentes nostras instar lucidissimæ facis in tenebricoso loco splendentis.* Bellarminus tria de hoc Concilio notat: (α) *Non ex Scripturis, sed ad suffragia Apostolorum questionem esse definitam.* (β) *Apostolorum sententiam non esse discipulorum examini permissam, sed simpliciter*

citer imperatum esse, ut obedirent. (γ) Concilii definitionem fuisse veram legem in conscientia obligantem. Quoad (α) dicimus aperte falsum esse, extra vel præter Scripturas aliquid in hoc Concilio constitutum fuisse. Nam communis fuit omnium tum Apostolorum tum Seniorum Ecclesiæque sententia per Spiritum veritatis docentem omnes, ut sentirent ὁμοθυμαδόν. (β) Esse disparem rationem Apostolorum & aliorum, quia eorum singulare fuit, quod in sua vocatione divinam veritatem Θεοπνεύτως καὶ ἀναμαρτήτως expresserint, quare non examinantur, sed ab illorum iudicio infallibili Ecclesia pendet. Deinde expresse Lucas commemorat, quod omnis multitudo tacuerit, unde concludimus. E. erat locuta ante, & Petri sententiam ex Scripturis examinavit, & approbavit. (γ) Definitionem obligare conscientiam, non ex prætoria, sed Scripturæ conscientiam suo lumine convincentis autoritate.

ARTICULUS IV.

demonstrans

ORDINIS PULCHRITUDINEM.

§. 26. Pertinet ad hanc pulchritudinem (1) Ordo inter caput Christum & membra Ecclesiæ representativa. Dico Christum, ille enim solus Ecclesiæ suæ caput est, non Pontifex Romanus, Ephes. I, 22. Penes hunc etiam solum potestas Ecclesiastica tanquam in radicali principio residet, quam communicat Ecclesiæ membris, ut radiis ejus corruscent. Erat hic ordo in hoc Concilio, quia in nomine Christi erant congregati, & Christum Concilii caput ac summum moderatorem agnoscebant, qui ante ascensum in cælis Matth. XVIII, 20. perpetuam suam præsentiam Ecclesiæ promiserat, non quidem absolutam & irresistibilem, sed conditionatam & liberam. Membra Ecclesiæ representativa erant in hoc Concilio Apostoli, Seniores & tota Ecclesia ὁμοθυμαδόν congregati & sentientes. (2) Ordinis harmonia quasi Musica. Quod enim Musica est in concentu recte formando, id concors consensus in conventu Ecclesiastico. Apparet hoc iterum dilucide in hoc Concilio. Concordi enim spiritu conveniunt, concorditer sententiam unanimi consensu approbant, & scævem inde concentum conficiunt, vers. 25. (3) Harmonia ratio Aristocratica, non Monarchica. Elucet hoc inde, quod nulla jurisdictionis prærogativa appareat. Nullus hic Petro primatus Monarchico, Oecumenicus, a quo reliqui Apostoli dependeant, concedendus; sed potius, (si quis locum haberet primatus) Jacobo verius tribuendus juxta Alphon-

Alphonsum Tostatum, Episcopum Abulens. in Cap. XVII. Matth. quæst. XIII. ad vers. 1. quem supra quidem citavimus, sed verba ejus, quia sunt emphatica, hic addimus: *In Concilio Hierosolymitano, quod fecerunt Apostoli & tota Ecclesia, non protulit Petrus definitionem Ecclesie, sed Jacobus solus locutus est definitive, velut totius Ecclesie organum, & quolibet ex assistentibus major.* Tostati verba parum caute & inconsulte prolata censet Lorinus ad vers. 19. Actor. XV. cum tamen in principio ipse consensisse videatur: *Valde, inquam, authentice loqui videtur Jacobus, ac ut Judex, cum Petrus dixisse simpliciter scribatur, & cum Petrus absolutam ac indefinitam imposuisset libertatem ab onere legalium, Jacobus censet non prorsus liberam immunitatem concedendam, sed astringendos nonnullis Gentiles ad Ecclesiam accedentes.* Dicit etiam posterior sententiam. Denique quod ille pronunciavit, a toto Concilio approbatum est. Sed rectius sentire putamus eos, qui multos in hoc Concilio præsidēs fuisse statuunt, de quo vide Dn. Hulsemannum *Breviar. cap. XVIII. th. 10.* quo hoc ipso demonstrarent, Ecclesie regimen in his terris non Monarchicum, sed Aristocratico analogum futurum esse. Non loquimur autem hic de omnibus requisitis formæ Aristocraticæ; neque enim Ministri, Ecclesiam in his terris regentes, absolutam potestatem habent, sed limitatam solummodo, dependentem a summo Monarcha Christo: Verum de forma Aristocratica analogice sic dicta, h. e. de ejusmodi regimine & præsentia in Ecclesiis, convenientiam quandam cum forma Aristocratica habente, & hanc optamus & defendimus ex hoc Concilio. Audiebatur in hoc Concilio utraqve pars, id quod non tantum justum, sed etiam in omnibus Conciliis legitimis & œcumenicis usitatum fuit. Dicunt sententias in hac Synodo super controversiam exortam duo vel tres, sic tamen, ut omnibus libertas judicii relinqvatur integra. Vide, si placet, de ordinis pulchritudine Conciliorum Præsid. *Syncretism. pag. 131. seqq.*

S. 27. Obiter circa hoc negotium quæritur: *An fratres Antiocheni habuerint jus indicende Synodi?* Grotius *Tract. de Summ. potest. circa sacra cap. VII. pag. 164.* hanc rem ita decidit, ut statuat, *fratribus Antiochenis & Apostolis Hierosolymis congregatis, ipso jure nature non quidem immutabili, sed eo, quod locum habet, donec aliter statuatur, licitum fuisse in his, quæ Ecclesiam tangunt, aut pastoralis sunt muneris, eligere & convocare, qui ad Synodum sint venturi, quia nulla lege, nullo pacto humano*
inter-

intercedente, alia nulla determinandi ratio potest inveniri. Ceterum in sequenti ævo nullum tale exemplum electionis ab Ecclesia facta extare. Dicitur hanc quæstionem esse formatam de tempore Ecclesiæ afflictæ sub Magistratu gentili & impio, unde concedimus licitum fuisse illis sine indictione Magistratus Synodum convocare, quemadmodum & Patres ante Nicenum Concilium sine opera Magistratus sua Concilia convocarunt, de quibus Euseb. *Lib. VIII. cap. XXI.* Quo factum etiam, ut incestuosus Corinthius excommunicatus fuerit ab Ecclesia, quem si Magistratus fuisset Christianus, ac suum fecisset officium, supplicio capitali affici oportuisset.

ARTICULUS V.

de

UTILITATE HUIUS CONCILII.

§. 28. Porrigitur hoc Concilium in amplissimas *Utilitates*, quarum prima est *NORMATIVA*. Ab hoc enim Concilio forma & norma omnium Conciliorum petenda, quod nec ipse Bellarmin. *Lib. II. de Conciliis cap. II.* diffitetur; licet consequentiam longius petitam inde formet; Verba ejus ita sonant: *Concilium confidenter ait; Visum est Spiritui Sancto & nobis: Si autem illud Concilium, ex quo formam acceperunt omnia alia Concilia, asserit, sua decreta esse decreta Spiritus Sancti, certe idem asserere possunt cetera legitima Concilia, quæ universe Ecclesiæ regulas credendi & operandi præscribunt. Illi enim Concilio adsuit Spiritus Sanctus, quia id necesse erat pro Ecclesiæ conservatione, ut non minus aliis temporibus, novis hæresibus exorientibus, id necessarium fuit atque etiam erit.* Hæc Bellarmin. Resp. autem negando consequentiam; A. Concilio enim Apostolico, quæ tali, ad aliud simpliciter N. V. C. Nam illud Concilium fuit singulare & singularibus luminibus coruscum propter præsentiam Apostolorum, quorum decreta erant decreta Spiritus Sancti. Deinde alia legitima Concilia possunt analogice tantum, non absolute asserere, sua decreta esse decreta Spiritus Sancti, si formam accipiant ex hoc Concilio, h. e. si huic Concilio similia fecerint, & eandem regulam servarint, quæ secuti sunt Apostoli, h. e. si Scripturam faciant proram & puppim, alpha & omega, suæ definitionis & disquisitionis.

§. 29. II. *Utilitas* est *DOGMATICA*, ad confirmandam sinceram & orthodoxam sententiam de Justificatione gratuita; de qua Apostolus Petrus vers. II. hujus cap. ubi simul concludit, viam salutis semper & in

E

Vet.

Vet. & in Nov. Test. fuisse unam & eandem, ac proinde non fuisse aliud medium salutis in Vet. Test. per quod Patres salvati sunt, quam nunc est in Nov. saltem quod illi per fidem in Messiam venturum. Nos in eum, qui jam venit, justificamur; quod latissime deducit Apostolus Paulus Rom. III. & per exempla Abrahami & Davidis per gratiam & fidem justificati in V. T. demonstrat. Et sane quid est aliud Epistola ad Romanos, Galatica, Ephesina, quam exegesis decreti Apostolici de gratuita hominis justificatione?

§. 30. III. *Utilitas* est ELENCHTICA, (1) contra Pontificios, Justitiam operum ac possibilitatem observantiae legalis contra expressum Petri decretum *vers. II.* defendentes. Exceptiones eorum extant apud Belarm. *Lib. IV. de Justific. cap. XIV.* Petrum non loqui hic nisi de lege ceremoniali, non morali; quod probat (α) ex occasione verborum: *Scribit enim Lucas, surrexisse quosdam ex discipulis, qui dicerent, oportet gentiles conversos ad fidem circumcidi, & legem Moysi omnino servare; atque istam fuisse causam, cur Apostoli Concilium coegerint.* E. Per spicuum est, Petrum loqui de circumcissione & id genus alius ceremoniis. (β) Ex decreto hujus Concilii: *Visum est Spiritui S. & nobis, nil ultra imponere vobis oneris, quam ista necessaria &c. Vel enim haec necessaria dicit Apostolus ex ceremoniali, vel simpliciter ex lege universa. At non ex lege universa, alioquin sequeretur, non esse necessarium, non colere idola; non machari, non furari, &c. quod est absurdum. E. tantum ex lege ceremoniali.* (γ) a Scopis Apostolorum, qui est *removere jugum legis a cervicibus omnium gentium; quaerit autem ibi, quid hoc sit? An tollere obligationem atque abrogare legem? An vero tollere opinionem justificationis ac docere, neminem per eam legem posse justificari? Si illud, absurdum dici putat, quia nulla lex amplius obligabit: Si hoc; lex ceremonialis adhuc obligabit, quod repugnat Apostolo, Gal. V, 2. Si circumcidamini, Christus vobis nil proderit.* Concludit, E. *Apostolos per jugum importabile legem ceremoniale intellexisse, atque ejus obligationem per Christum sublatam declarasse.* Resp. Quoad (α) non esse solidam consequentiam. Occasio disputationis fuit circumcissionis impositio; E. de ea tantum actum. Fatemur occasionem huic Concilio dedisse circumcissionem, sed nil obstat, quominus ratio altius surgat & longius repetatur; Imo, hoc erat necesse, quia ceremoniarum usus non potest intelligi, nisi relate ad legem. Exemplum ejusmodi tractationis exhibet ipse Apostolus, cum de hac ipsa
quæ-

quæstione disputaret Gal. III, 12. non tamen intra illam disputationem se continet, sed ad legem moralem assurgit & ei Justificationem negat. Manifesta ergo Petri ratio: Circumcisio non est retinenda, quia legis onus, quod circumcisio præsupponit, est importabile. Ad (β) Necessaria hæc decreta dici non ratione obligationis, sed temporis; & propterea non sequi; Si hæc delecta sunt ex universa lege, ideo non sunt reliqua necessaria necessitate obligationis: vel; Petrus non est locutus de lege morali. Ad (γ) Concedendo Apostolum voluisse non tantum remove opinionem de justificatione per legem: sed etiam usum ceremoniarum, non tamen legem moralem abrogare. Neutrum ergo absurdorum Bellarmini ad nos, nec sequitur: E. importabile tantum ad legem ceremoniam pertinet. Excipit Becanus, *legem Ceremonialem importabilem dici, non quod omnino portari nequeat, sed quod difficulter.* Sed hanc glossam nec phrasis nec contextus admittit. Non phrasis, quia legis jugum non dicitur *δυσβάστακτον*, sed simpliciter *ἀβάστακτον*. Non contextus, quia legi tanquam jugo importabili opponit gratiam Jesu Christi, quia Patres V. T. non minus salvati & justificati sunt, quam nos in N. T. Quid per gratiam intelligat, explicat Act. V, 23.

§. 31. (2) *Photinianos*, non tantum Patres Vet. Test. per gratiam Jesu Christi fuisse justificatos; sed etiam hoc ipsum a Petro *vers. 11. h. l.* dici, negantes. Excipiunt E. Volkelius *de vera Relig. Lib. IV. cap. III. pag. 176. & 177. edit. Racov. & Schmalz. Disp. IV. & VI. contra Frantzium, quod ultima verba vers. 11. καὶ ὃν ἑσώσω καὶ κείνοι, non sint referenda ad Patres Vet. Test. de quibus Apostolus vers. anteced. sed ad Gentiles, seu ad vocabulum μαθητῶν.* Ratio (a) quia non infreqvens est in Codice sacro, ut quandoque etiam relativum non ad proxime antecedens, sed ad subjectum remotius referatur, Act. VIII, 19. X, 6. &c. (b) Quia collectiva vox ἑσώσω cum pronomibus diversi generis solet jungi. e. g. Matth. XII, 19. 20. Rom. II, 14. Resp. vero ad has exceptiones & ad (a) simpliciter negando; scopus enim Apostoli hoc ipsum non permittit, ut vocabulum *καὶ κείνοι* referatur ad subjectum remotum. Quæstio erat tum temporis, quomodo Apostoli, Apostolorumque discipuli Gentes debeant salvari? Respondebant Pseudo-Apostoli, non sola fide seu per gratiam Domini nostri Jesu Christi; sed etiam operibus legis. Negabant hoc ipsum Apostoli in Concilio; non ergo Petrus probat suam & reliquorum discipulorum salutem, sed Gentium salutem Patrum exemplo illustrat,



& sic concludit: Gentibus conversis non est imponenda Lex; ratio, quia neque Nos, neque Patres nostri illud jugum portare potuimus, sed sicut Patres nostri cupimus salvari per gratiam Domini nostri Jesu Christi. Deinde ex h. l. solent Nostrates Theologi sic argumentari: Illi debent intelligi per *κατένευγες*, qui possunt esse norma & exemplar, *καθ' ὃν τρέπον* Apostoli & Sancti reliqui justificari possunt. Atqui *μαθηταί* non possunt esse exemplar &c. E. (b) Ad rationes adductas regerimus, & quidem ad (1) N. V. C. Hoc fit quandoque & in quibusdam locis. E. etiam hoc loco. In cæteris locis potest certa dari ratio, cur pronomen ad subjectum remotius referatur, quæ in præsentis textu non obtinet. Licet enim scopus Apostoli generalis sit, agere de gentibus: specialis tamen magis attendendus, secundum quem cum Justificatione Patrum gentium justificationem confert. Addimus etiam non esse ab ordinaria via recedendum, nisi gravior urgeat necessitas. (2) Concedimus, non esse insolitum in sacris: attamen in iis locis dispar est ratio, quia nullum aliud substantivum masculinum occurrit, cum quo possit particula relativa construi; ut necessarium sit ad τὸ ἔθν̄ confugere: secus autem fit in nostro textu, ubi nomen congruens *πατέρες* proxime antecedit; in quo casu non est necessarium ad nomen neutrum ἔθν̄ confugere. Vide in hanc rem B. Nic. Hunnium in *Exam. error. Photin. cap. IV. de Justific. pag. 410. seq.* Dn. Dorscheum in *Exeg. loc. Hebr. XIII, 8. §. 38.* Dn. Stegmannum in *Photinianism. Disputat. XXX. pag. 343.*

ARTICULUS VI. & ULT.

exponens

PARALLELISMUM & COLLATIONEM
CONCILIORUM.

§. 32. Est hoc Concilium, si cum omnibus reliquis conferamus, omnium, quotquot huc usque in Ecclesia celebrata sunt, præstantissimum, & quidem ratione (1) *Temporis*; cum omnium primum in Novo Testamento sit celebratum, & ab hoc Concilio plerique compaginatores Conciliorum ordiantur, a quo omnia deinde Concilia formam & normam acceperunt, juxta vulgare verberbium: *Primum in quovis genere est mensura reliquorum.* Baronius ad ann. Christi LVIII. num. 118. fingit, hanc Synodum fuisse in ordine tertiam ab Apostolis convocatam; primam autem fuisse Act. I. ubi Apostoli ad eligendum Mattheum in locum Judæ pro-

proditoris convenerunt. Secundam, quando Actor. VI. ad electionem septem Diaconorum congregabantur. Verum, si quod res est, dicendum; Respondemus, hos conventus a Baronio & ejus asseclis in medium adductos ita esse comparatos, ut Conciliorum nomen proprie non sustineant. Nam in congregatione Apostolorum Actor. I. descripta, nulla fuit controversia de religionis Christianæ negotio proposita, nec legitima disputatio formata; quæ primario ad Concilium requiruntur. (2) *Dignitatis*; quia a Viris Apostolis, singulari præ reliquis Θεοπνευσία a Spiritu Sancto instructis, Petro, Paulo, Johanne, Galat. II. & plerisque Viris Apostolicis ad hanc Synodum convocatis, præsentem totam Ecclesiam Hierosolymitana fuit peractum. (3) *Natura & causa*; quia omnium aliorum Conciliorum forma & norma est constitutum: Unde non immerito Posteritas ex hoc Concilio formam convocandi, coeundi, proponendi, decidendi &c. sibi sumfit & secuta est.

§. 33. In specie si velimus progredi, & parallelismum cum reliquis Oecumenicis Conciliis posteriori seculo celebratis instituere, dicere possumus, hoc Concilium Apostolicum fuisse omnium perfectissimum & absolutissimum. Quemadmodum enim in Scriptura Sacra tria dantur librorum genera; Primo *Canonici* de quorum Autoritate nullum unquam dubium subortum est in Ecclesia; Secundo *Apocryphi*, ab Ecclesia quidem quoad usum & lectionem recepti, sed de quorum autoritate aliquando dubitavit Ecclesia; ac proinde in controversiis fidei decidendis nullam eis autoritatem concedit: Tertio *ἄγγραφοι*, ut sic dicam, de quibus semper fuit dubitatum, quique ab omnibus habentur pro suppositis, quorsum referimus Lib. III. & IV. Esdr. Lib. III. & IV. Maccab. &c. Sic etiam in Ecclesia Novi Testamenti tria dantur Conciliorum genera. Primo *Apostolicum*, quod semper & ab omnibus recipitur & receptum est, quippe cujus examinatio non est in nostra potestate, sed cui simpliciter est obtemperandum, quia autoritatem cum ipsa Scriptura Sacra Canonicam & authenticam obtinet; & tale est Concilium Hierosolymitanum. Secundo *Ecclesiastica*, quorsum referimus IV. Concilia Oecumenica, Nicenum, tempore Christianismi Imperatoris Constantini M. ad repellendum Arij errorem: Constantinopolitanum I. Imperante Theodosio Seniore. Sozom. Lib. VII. cap. VII. Ephesinum Theodosio juniore Imperatore. Socrat. Lib. VII. histor. cap. XIII. contra Nestorium; & Calcedonense, tempore Martiani Imperatoris contra Euty-

chianos celebrata; quæ quidem non recipimus tanquam absoluta, & ultima, & independentia de controversiis decreta, quia ita credendum esse definiverunt; sed quia eorum dogmata in Scripturis tradita invenimus, & ex collatione Scripturæ illorum rectissime decisa agnoscimus. Et hæc est causa, cur in libris nostris Symbolicis & ab omnibus Orthodoxæ Ecclesiæ doctoribus pro veris & legitimis habeantur? Magni ergo æstimamus eorum autoritatem; sed tamen, ut post Scripturam, *unicam fidei Christianæ regulam & normam infallibilem, secundum quam omnia dogmata & Doctores* (ut loquitur Form. Conc.) *judicari oporteat*, testium approbatorum locum illis attribuamus præ cæteris omnibus sequentibus seculis in Ecclesia peractis; quæ cum ulteriori examine, & quatenus cum Scriptura consentiunt, libenter admittimus, quia & fallibilia & erroribus obnoxia fuerunt. Discrimen horum ab Apostolicis Conciliis jam olim ipse Athanas. *Lib. I. de Synod.* docuit, cujus verba inter alia ita habent: *In negotio Paschatis non abhorruerunt* (Patres Nicensi) *ab istiusmodi appendice; ibi enim placuit, ut adderetur, Visum est, ut omnes obtemperarent. De fide vero non scripserunt, Visum est; sed ad istum modum: credit Ecclesia Catholica; forte ideo, ut ostenderent, non esse novam sententiam, sed Apostolicam, & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inventa, sed Apostolorum documenta.* Imperator Justinianus *Novell. CXXXI. cap. 1. de 4. Oecumen. Concil.* nimium videtur illis tribuere: *Sancimus igitur vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ a sanctis quatuor* (Oecumenicis scil.) *Conciliis exposita sunt, aut firmata.* Et paulo post: *Predictarum enim quatuor Synodorum dogmata, sicut sanctas Scripturas accipimus, ac regulas sicut leges observamus.* Consentit cum his Gregor. M. *Lib. I. Epist. ex reg. D. Gregor. cap. XXIV.* circa finem: *Sicut sancti Evangelii quatuor Libros, sic quatuor Concilia* (intellige Oecumenica) *suscipere & venerari me fateor.* Si tamen *τὸ* sicut non æqualitatis, sed veritatis tantum intelligatur in locis adductis, orthodoxe eos sentire non negamus. Ad tertium vero genus pertinere censemus omnia illa Concilia, quorum fides & autoritas semper fuit suspecta, & quibus subinde ab Orthodoxis in Ecclesia fuit contradictum.

§. 34. Infra autem omnia hæc Concilia ultimo loco ponimus Conciliabulum *Tridentinum*, seculo superiori sub Paulo III. cœptum, & Pio IV. Pontificibus finitum: Monstrum quo monstruosius nil vidit nec audivit orbis Christianus; Omnium malorum,
quæ

quæ hæcenus & in hunc usque diem dulcissimam nostram Germaniam premunt, causa & origo. Cumulus omnium errorum, & excessuum in doctrina fidei, quo inutiles, imo falsi & perniciosi articuli, veræ Christianæ fidei additi sunt, dum Patres illi cucullati, Papæ mancipia, omnium malorum radicem in curia Romana tangere nec voverunt, nec ausi sunt. Conciliabulum Protestantibus minime liberum ac pervium, in quo pars adversa inaudita sententia condemnata fuit. Conciliabulum, quod conatus omnes eo intendebat, ut quicquid purioris doctrinæ in protestantium Ecclesiis profitebatur, id totum penitus damnaretur, & reprobaretur, ne Ecclesia Romana vel in minima re errasse, aut Protestantibus succubuisse, aut cessisse videretur. Iniquissimum hujus Concilii processum monstrare B. Chemnitius in *Exam. Dn. Hulseman. Disput. XIX. Manual. Aug. Confess. Dn. Præses Syncretism. pag. 134. seqq.* & prolixè Petrus Svavis in *Hist. Concil. Trident.*

§. 35. Nec multo melioris farinae putamus esse *Synodum Dordracenam*, a Reformatis in Belgio contra Arminianos seu Remonstrantes hoc seculo coactam, quod latissime ostendit B. noster Nicol. Hunnius in *Dedic. διακρίσεως de fundam. dissensu Luther. & Calvinian.* & per omnia æqualitatem cum Tridentino monstrat. Extant querelæ Arminianorum de illatis injuriis in publico, ut non opus sit, hæc pluribus erudito Orbi demonstrare. Vid. si placet, *præfat. ad acta Remonstr.* Verba ita sonant: *Hi (scil. Contra-Remonstrantes seu Reformati) postquam nos odisse cœperunt, nulla alia de causa, quam quod seorsim ab ipsis sentiremus in controversiis quinque articulis de Prædestinatione, eiqve annexis, id unum operam dederunt, ut nos opprimerent. Cum se id regia via per rationes, & argumenta, quæ tamen sola contra errores Christianorum arma sunt; præstare posse desperarent, iisque mediis tentarent, quæ asperiora erant, quam ut superiores Patriæ nostræ Rectoribus, quibus Gentis istius privilegia sarta tecta conservare statutum erat, & moderatioria semper consilia placebant, probari possent, tandem vi viam sibi facere in animum induxerunt, &c.* Et non multo post: *Apparet eadem prorsus ratione nobiscum egisse Synodum Dordracenam, qua præcedentibus seculis agere solebant ii, qui adversarios suos oppressos cupiebant, & qualia fere soleant esse judicia, quæ pars adversa format, ubi tribunal nacta est, ex quo sententiam de adversario dicat.*

Imo

40 *Disputatio Theologica, Aiarónwris Concilii Hierosolymitani.*

Imo omnes fere Epistolæ, in Synodo tam ad Illustr. Ordines, quam eorum Delegatos exaratae, plenæ sunt qverimoniarum; ex quibus cernere licet, quomodo contra omnem hactenus receptum morem cum illis agere Reformati Doctores non erubuerint.

§. 36. Hæc sunt, quæ de hoc *Concilio Hierosolymitano* meditari, annotare, & ad disputandum proponere voluimus. Longius quidem & prolixius, verius dixerim eruditius & accuratius, omnia deducenda fuissent, nisi tempore exclusi, hic telam abrumpere cogeremur. Finimus itaque cum eo, a quo incepimus: Ipsi summo Numini, Spiritui divinissimo, summo hujus Concilii Præsidi, Directori laborum nostrorum unico, cum Patre & Filio, DEO Trinuno sit Laus, Honor & Gloria in sempiterna secula,

A M E N,



753962

ULB Halle 3
001 854 02X





Sb.

2

VD 12







56 58

ΔΙΑΤΥΠΩΣΙΣ
CONCILLII
HIEROSOLYMITANI,

Ex
Cap. XV. Actuum Apostolicorum,
FAVENTE SUMMO NUMINE
PRÆSIDE
DN. JOH. CONRADO DANN-
HAWERO, SS. Theol. D. Professore Publ.

& Ecclesiae, Facult. Theolog.
h. t. DECANO,

In Universitate Argentoratensi

d. 18. Octobr. qvi D. Luca sacer,
A. S. M. DC. XLIX.

SOLENNI DISQUISITIONI
subjecta

a
M. JACOBO MULLERO,
Lubecensi.

DISPUTATIO XI.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS ANDREÆ.